Diss. Breslau
1907.
B. Kranz.

De particularum „pro“ et „prae“ in prisca latinitate vi atque usu.

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos scripsit

Bruno Kranz

Silesius.

Die XXIII mensis Decembris a. MCMVII hora XII et dimidia

disseret doctorandus in Aula Leopoldina

„De Horatii studiis Theocriteis“;

deinde erit promotio.

Vratislaviae

Typis societatis typographorum Vratislaviensium

MCMVII.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XVIII mensis Decembris.

Francisco Skutsch

sacrum

De *pro* particulae in prisca latinitate vi atque usu.

Particulae *pro* vis primaria plane perspicua est. *pro* idem fere est atque *ante*; at ei non est contrapositum *post*, sed *intra*. Dici enim potest *pro* de ea re, quae ante eum locum est, intra quem fuit antea; qua de causa *pro* particula maxime cum verbis movendi coniungitur, quibus exprimitur, quomodo quid ex interiore parte loci cuiusdam ante eundem transferatur. Primo *pro* particula cum verbis movendi coniuncta sine dubio nihil aliud significavit nisi id, quod moveatur, ex interiore quodam loco efferri ita, ut iam extra et ante eum sit; postea autem motus, qui verbis movendi ipsis inest, in particulam quoque cum illis coniunctam transferebatur. Quo fit, ut *pro* saepissime spectet non tam ad locum, ubi quid est, quam ad locum, aut unde aut ad quem quid movetur.

Delbrück,[1]) qui *pro* particulae vim, quae exstat in compositis, cum verbis linguarum indogermanicarum ab eadem particula incipientibus comparat, *pro* iam temporibus indogermanicis spectavisse putat ad locum, unde aut ad quem quid movetur, et idem significavisse atque nostra in lingua „hervor" et „voran, vorwärts"; neque tamen existimaverim eas significationes proprias et genuinas putari posse. Nam primum non satis apparet, quomodo fieri possit, ut vis tam diversa, quam exstat in „hervor" et „vorwärts", in particula ipsa iam ab initio fuerit et ex vi, quae motum exprimit, altera emanaverit, quae statum alicuius rei significet; deinde *pro* absolute adhibitum hanc vim nullo loco habet; verisimile igitur

---

[1]) Delbrück, Vergleichende Syntax der indogermanischen Sprachen. I, p. 716.

est eam nunquam particulae ipsi infuisse; porro si *pro* iam ab initio spectavisset ad locum, ad quem quid movetur, non potest intellegi, qua de causa *pro* non coniungatur etiam cum accusativo, sicut aliae particulae similia significantes velut *ad*, *in*, *sub*; tum ex particula *pro* absolute adhibita et statum rei significante nunquam tot et tam variae elocutiones exortae essent, nisi in particula ipsa status vis iam primo infuisset.[1]) Postremo ex ceteris linguis italicis perspicuum fit *pro* absolute adhibitum, ut in latina, sic in illis linguis statum rei significavisse, non locum, ubi origo vel finis motus cuiusdam situs est.[2])

I. De vi, quae spectat ad locum, ubi quid est.

§ 1. Ex eis, quae supra dicta sunt, facile intellegi potest veram et propriam vim particulae *pro* non eam esse, quae redditur in vernacula lingua particulis „hervor" et „vorwärts", sed potius eam, quae significat locum, ubi quid est, et eundem sensum habet atque nostra particula „vor". Haec significatio rarius exstat; nam verbis movendi in eam motus significatio inferebatur; localis autem usus propter vim, quae respicit ad interiorem locum, in nullo nisi movendi verbo plane vigere potest; qua re efficiebatur, ut, ubi *pro* non cum verbis movendi coniunctum est, illud genuinae significationi proprium saepissime non iam recognosci posset. Nonnullis autem locis vera et propria vis etiam manifesta fit.

Cat. orig. IV 14: *Proelium factum depugnatumque p r o c a s t r i s.* P r o c a s t r i s enim pugnant ei, qui antea intra castra fuerunt. Cil. I 200 1: *P r o t r i b u Qu. Fabius Q. f. primus scivit* (Cil. I 202, inscr. 3); Calp. Piso 27: *eumque p r o t r i b u aedilem curulem renuntiaverunt.* P r o t r i b u dicit is, qui antea intra tribum fuit i. e. intra ordines tribulium, ex quibus p r o t r i b u l i b u s p r o g r e s s u s e s t. — Ceteris in exemplis propria vis non iam perspicua est: Cil. I 199 16: *ibi terminus stat inmonte p r o c a v o*; Afran.

---

[1]) Exstat enim vis „hervor" et „voran vorwärts" non nisi in compositis.

[2]) cf. v. Planta, Gr. d. osk.-umbr. Dialekte II p. 451, ubi duo eius generis exempla proferuntur: *pru medicatud* (= *pro ioudicatod*) et *pru meddixud* (= „in seiner Eigenschaft als Magistrat"); haec exempla exstant in lege Bantina, in qua iam nonnulla ex lingua latina sumpta inveniuntur.

com. 281: *pro manibus*[1]) *credo habere ego illos tentipellium*; Cat. orig. V 8: *Urbes insulasque omnis pro agro Illyrio esse*; Luc. 511: *trulleus pro*[2]) *stomide huic ingens de naribus pendet*; Cil. I 198 36: *Iudices . . . omnes pro rostreis in forum vorsus iouranto* (Cil. I 198,42).

prohibere. — i. e. aliquem retinere ante locum, intra quem pervenire vult, id quod cognosci potest his in exemplis: Pl. Amph. 361: *Tun domo prohibere peregre me advenientem postulas?*; 617: *Quis te prohibuit?* (sc. in aedes ire); 1008: *ascendam in tectum, ut illum hinc prohibeam*; Ter. Phor. 425: *ipsum prohibebo domo.* Quo ex usu emanavit vis arcendi et impediendi: Luc. 606: *vim de classe prohibuit*; Cil. I 199 34: *neive prohibeto, quo minus ex eo agro ligna materiamque sumant*; (et multa alia).

proicere. — Cil. I 577 I 12: *facito ex eo pariete antas duas ad mare vorsum proicito longas* (Cil. I 577 I 16).

positus. — Cat. inc. 9: *Speca prosita, quo aqua de via abiret.*

procubitores. — i. e. extra castra cubantes.[3]) Cat. d. re mil. 5.

profanus. — i. e. non intra fanum situs. Cil. I 1115: *lapides profanei intus sacrum.* Propterea praecipue opponitur ei, quod intra fanum i. e. sacrum est: Pl. Merc. 362: *Nec sacrum nec tam profanum quicquam est*; Trin. 286: *Sacrum profanum . . . habent.* Pl. fab. inc. XIX, Auct. ad Her. II 7.

profestus. — fortasse ex *profani* analogia compositum est: *non intra dies festivos situs*; neque enim idem atque *ante dies festivos* significare potest, quia *pro* sensum temporalem nullo loco habet.[4]) Ut *profanus*, sic *profestus* cum re contraria coniungi solet. Pl. Aul. 381: *festo die siquid prodegeris, Profesto egere liceat*; Poen. 501, Afran. com. 262, Luc. 1228. Caec. com. inc. XLII: *profesti dies.*

II. De vi, quae spectat ad locum, unde quid movetur.

§ 2. Particulae *pro*, ubi locum significat, unde quid movetur, quamvis cum particula *ex* aliquid commune esse videatur, tamen

---

[1]) sic libri; fortasse *prae manibus*, cf. p. 42.

[2]) libri: *truleus postomide*; corr. Salmasius.

[3]) Festus p. 253 M.: *Procubitores dicuntur fere velites, qui noctu custodiae causa ante castra excubant.*

[4]) cf. § 22.

non omnibus locis, quibus *ex*, eam adhiberi posse apparet, sed nullo loco nisi, quo exprimatur moveri aliquid ex concluso loco in apertum. Igitur cum *ex* particula significet *personam vel rem, quae in media vel intima re erat, extra hanc progredi*,[1]) quamquam eundem sensum habere potest *pro*, tamen eo inter se differunt hae particulae, quod *ex* rem promotam non iam intus esse denotat, *pro* autem rem promotam ante locum esse, velut Ter. Hec. 347: *Cura ex corde excessit* sc. sic, ut non iam sit intus; Pl. Amph. 117: *ego huc processi* sc. sic, ut iam sim ante aedes. — Luc. 791: *Ex hac aerumna is exeat*[2]) sc. sic, ut non iam sit in pectore; Ter. Phor. 152: *Nemon huc prodit?* sc. sic, ut sit ante aedes. — Cil. I 200 18: *ex possessione vi eiectus est* sc. sic, ut non iam sit in possessione; Pac. trag. 94: *Promonturium, quoius lingua in altum proicit* sc. sic, ut ante terram continentem iaceat. Spectat igitur *ex* motum in universum, *pro* autem ad finem motus; qua ex re etiam intellegi potest, cur non *ex*, sed *pro* in vim transferatur, quae exstat in Germanica particula „vorwärts". Differentia, quae est perspicua inter *ex* et *pro*, plurimis locis non iam invenitur;[3]) metricis enim causis effectum esse puto, ut *ex* eis quoque locis adhibeatur, ubi primo nihil aliud nisi *pro* poni poterat, velut Pl. Merc. 423: *siquid faciendumst, facere damni mavolo Quam obprobramentum aut flagitium muliebre exferri*[4]) *domo*; Ter. Hec. 622: *video Phidippum egredi per tempus*; Pl. Pers. 667: *abi, argentum ecfer huc*;[5]) Ter. Hec. 733: *te huc foras puerum evocare iussi.*[6])

§ 3. *Ex* particula igitur saepius *pro* particulae loco posita invenitur, *pro* autem nullo loco eandem vim habet atque *ex*; nam in compositis vis, quae *pro* particulae ipsi inest, semper cognosci potest.

---

[1]) Fr. Pradel, de praepositionum in prisca latinitate vi atque usu. Jahrb. für Philol., Suppl.-Bd. 26, 1901, p. 533.

[2]) *is exeat* Iunius, *exeatis* libri.

[3]) Ulrich, Über die Komposita bei Plautus. Progr. Halle 1884, p. 18.

[4]) = *in publicum ferre*, quae vis inest verbo *proferre*.

[5]) cf. Pl. Amph. 769: *Vin proferri pateram?*

[6]) In verbo *provocandi* metaphorica vis plus valebat quam propria; itaque eo facilius fieri potuit, ut loco eius *evocare* poneretur, velut Pl. Cas. 295: *uxorem huc evoca ante aedis*; Poen. 920: *huc si ante aedes evocem.*

1. *pro* componitur cum verbis, quibus ipsis motus inest.

prodire. — Pl. Ep. 568: *Iube Telestidem huc prodire filiam ante aedis* sc. ex aedibus, Pl. Aul. 350, Cas. 435, 806, Cist. 639, Mil. 1122, Poen. 1118, Rud. 413, Stich 614; Ter. Ad. 635, Andr. 115, Eun. 669, 1005, Haut 276, Phor. 152, Enn. ann. 156, Luc. 960; Pl. Bacch. 1008: *pudet prodire me ad te in conspectum* sc. ex occulto, Pl. Men. 708, Most. 1155, Ter. Phor. 443; Claud. Quadrig. 10b: *e tanto exercitu neminem prodire* (bis); Pl. Rud. 295: *ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum*; Auct. ad Her. IV 34: *cum parva manu prodiremus* sc. ex castris.

procedere. — Pl. Amph. 117: *Quod ego huc processi sic cum servili schema* sc. ex scaena i. e. ex aedibus, Pl. Asin. 6, Capt. 649, Cas. 564, Poen. 650, Pseud. 606, Enn. trag 181; Pl. Capt 954: *Age tu illuc procede* sc. ex loco posteriore, Pl. Mil. 828, Most. 1125, Ter. Eun. 470; Claud. Quadrig. 10b: *Gallus quidam . . . processit* sc. ex exercitu (bis); Sisenn. 69: *Duae cohortes de subsidio procedunt* sc. ex castris, Sisenn. 69; 72.

progredi. — Pl. Bacch. 611: *Mnesilochus eccum maestus progreditur foras* sc. ex aedibus, Pl. Cas. 308, 796, 862, Men. 109, Mil. 610, 817, Most. 687, Pers. 682, Poen. 796, Truc. 320, Turp. com. 154, Syr. sent. 2; Claud. Quadrig. 12: *Valerius tribunus . . . progreditur intrepide modesteque obviam* sc. ex castris.

prosequi. — Pl. Rud. 1050: *quid vos foras* (sc. me) *Prosequimini?* sc. ex aedibus; Cas. 783: *novom maritum et novam nuptam volo Rus prosequi* sc. ex urbe, Cil. I 1422,6; metaphorice: Auct. ad Her. IV 47.

provisere. — Pl. Men. 704: *Provisam, quam mox vir meus redeat domum* i. e. procedere ex aedibus et visere,[1] Pl. Stich 642, 644, Ter. Ad. 889, Andr. 957, Eun. 394.

prodeambulare.[2] — i. e. prodire. Ter. Ad. 766: *Prodeambulare huc libuit* sc. ex aedibus.

prosilire. — Ter. Eun. 1030: *Quid nam hic properans prosilit?* sc. ex aedibus, Pl. Trin. 216; Pl. Stich 466: *prae laetitia*

---

[1]) cf. Donatus ad. Ter. Ad. 889; Turp. com. 154: *progredior foras visere quid hic tumulti.*

[2]) *prode = pro.* cf. Ritschl, opuscula II 564 sqq., Rönsch, Collect. phil. 305, Corssen, Über Ausspr., Vok. u. Betonung d. lat. Spr. 2. Aufl., Lpzg. 1870 II p. 482, Brugmann J. F. VI 81 sq.; sed fortasse *prodeambulare* aliter compositum est: *pro + deambulare.*

lacrimae prosiliunt mihi sc. ex oculis; Pl. Vidularia 101: *Nescio-qui servos e myrteta prosilit.*

proicere. — Cat. orat. I 9: *Ita nos fert ventus ad primorem Pyrenaeum, quo proicit in altum* sc. ex terra continente, Pac. trag. 94.

proserpere. — *bestia proserpens* sc. ex occulto: Pl. Asin. 695, Pers. 299, Poen 1034, Stich 724.

prorepere. — Caec. com. 270: *unde prorepsit truo?* sc. ex occulto.

profluere. — Enn. trag. 318: *Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere* sc. ex corpore; Naev. com. 18: *cui . . . oculus . . . profluit* sc. ex capite; Pl. Asin 796: *quasi gravedo profluat* sc. ex naribus; Auct. ad Her. IV 44: *Cuius ore sermo melle dulcior profluebat.*

provolare. — Claud. Quadrig. 19: *capillo passo in viam provolarunt* sc. ex tectis.[1])

2. *pro* componitur cum verbis, quae motum efficiunt.

propellere. — Ter. Andr. 395: *propulsabo facile uxorem* sc. ex aedibus.

protrahere. — Pl. Merc. 798: *Me istanc capillo protracturum esse in viam* sc. ex tecto; Acc. trag. 66: *Fata ut frustrando lactans vanans protrahas.*

provehere. — Acc. trag. 128: *ante noctem extenta retia, ut proveherem*[2]) sc. ex portu, Pl. Mil. 117; Pl. Rud. 863: (sc. mulierem) *provexi* sc. ex aedibus.

proferre. — Pl. Amph. 770: *pateram proferto foras* sc. ex aedibus, 769 (bis); Pseud. 811: *condita prata in patinis proferunt* sc. ex culina; Rud. 979: *in macellum pisces prolati sient* sc. ex navi piscatoria; Asin 651: *viginti minae argenti proferentur* sc. ex arca, Afran. com. 168, 179, Enn. trag. 16, Cat. orat. II (bis).

promere. — = **pro-emere.* Contractione vocalium particula cum stirpe miscebatur; quo factum est, ut pro verbo simplici

---

[1]) Hoc loco fortasse habendum est etiam *promontōrium* (Pac. trag. 94, Luc. 125), quod vocabulum non ex *promunctōrium* exortum esse potest (cf. H. Rönsch, Collect. phil., Bremen 1891, p. 303 sqq.), sed fortasse derivatum est a verbo *prominendi* (cf. Stolz, Hist. Gramm. I, Leipzig 1894, p. 159).

[2]) sic ante Mercerum; libri: *praeveherem*, quod sine dubio falsum est.

(emere), quod sensum mutaverat, ipsum quasi novum verbum simplex veniret in usum; qua de causa coniungi solet cum aliis particulis, velut *ex*, *de*, *sub*;[1]) eis autem locis, ubi *promere* absolute adhibitum tamen sensum eximendi habet, viget etiam sine dubio vis particulae *pro*. — Pl. Mil. 829: *Prompsisti tu illi vinum* sc. ex cella; Pseud. 355: *argentum promere possum domo*; Cist. 111: *siquid tibi opus est promptu, promito* sc. ex cista; Acc. trag. 55: *ferro prompto* sc. ex vagina; Auct. ad Her. III 32: *hac prompta copia.*[2])

profundere. — Pl. Aul. 308: *Aquam hercle plorat . . . profundere* sc. e lavabro; Curc. 92: *Profundis vinum* sc. ex amphora, Curc. 102; Luc. 1000: *quid ego haec . . . dicta profundo* sc. ex ore; 119: *non peperit, verum postica parte profudit.*

proripere. — Pl. Capt. 533: *quo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex aedibus*; Rud. 660: *Proripite hominem pedibus huc itidem quasi occisam suem* sc. ex posteriore loco; Acc. trag. 645: *Advena animo audaci in medium proripit sese ferox* sc. ex multitudine.

producere. — Pl. Ep. 477: *quin tu fidicinam Produci intus iubes* sc. ex aedibus, Bacch. 1147, Capt. 252, Ep. 479, Luc. 1009, Pomp. com. 140; Ter. Ad. 561: *eum rus hinc modo Produxe aibas* sc. ex urbe (402); Pl. Amph. 217: *castris ilico Producit omnem exercitum.*

---

[1]) Hae particulae semper fere cum verbo coniunctae sunt; rarissime hac in elocutione absolute adhibentur. Pl. Asin. 181: *de pleno promitur*; Truc. 603: *iram ex pectore iam promam.* — *expromere* solet dici de animi affectibus. Bacch. 652: *ubiquomque usus siet, pectore expromat suo*; Merc. 47: *iniustitiam lenonum expromere*; Mil 1055: *Exprome benignum ex te ingenium*; Ter. Andr. 723: *opus est tua Mihi ad hanc rem exprompta malitia.* (De aliis rebus: Pl. Mil. 208, 764, 831, Ter. Haut. 575.) — *depromere* saepissime dicitur eis locis, ubi pars alicuius copiae demitur (cf. Pl. Asin. 181). Pl. Curc. 251: *quin depromuntur mihi, quae opus sunt* (255); Trin. 756: *dos depromi potest* sc. de argenti copia; 803: *deprome inde auri ad hanc rem*; 944: *depromptum cibum*; Truc. 646: *Ut bubus glandem prandio depromerem*; Pall. com. inc. inc. 11: *Quinque Thasii vini depromam*; Pl. Amph. 156; *quasi e promptaria cella depromar ad flagrum.*

[2]) Metaphorice: Pl. Asin. 26: *quin promam omnia* sc. ex pectore; Enn. trag. 327: *amicitiam in frontem promptam gero*, Pl. Pseud. 449, Enn. sat. 57: Pl. Truc. 714: *Prome venustatem amanti tuam.*

3. *pro* componitur cum aliis verbis.

proserere. — Pl. Asin. 795: *Ut quoiquam linguam in tussiendo proserat* sc. ex ore.

prolicere. — Pl. Curc. 97a: *Eius amor cupidam me huc prolicit* sc. ex aedibus.[1]

provocare. — Pl. Bacch. 444: *Provocatur paedagogus* sc. e conclavi; Mil. 1122: *Speculare, ut ubi illaec prodeat me provoces* sc. ex aedibus, Pseud. 638, Ter. Eun. 443; Acc. trag. 525: *Primores procerum provocavit*[2] *nomine, Si esset quis, qui armis secum vellet cernere* sc. ex acie.[3]

proluere. — Pl. Curc. 121b: *propere prolue cloacam* sc. vino.[4]

proruere. — Ter. Eun. 599: *foras simul omnes proruont* sc.

promicare. — Naev. com. 16: *multa longe promicanda oratio est.*

prodere. — Pl. Rud. 589: *aluom prodi speravit nobis salsis poculis.*

prosecare. — i. e. ita secare, ut ea, quae intra fuerunt, prodeant. Cat. d. agr. 134,4: *ubi exta prosecta erunt* sc. ex corpore; Poen. 456a: *votui exta prosicarier.*[5]

proscindere. — i. e. ita scindere, ut ea, quae intra fuerunt, prodeant. Pl. Trin. 523: *terra quom proscinditur* sc. ex arvo; Acc. trag. 496: *Ut rorulentas terras ferro rufidas Proscindant glebasque arvo ex molli exuscitent*; Luc. 1044: *glebas . . . proscindere ferro.*

In omnibus his exemplis exstat *pro* sive in verbis ipsis sive in nominibus a verbis derivatis. Eodem sine dubio trahendum est

proinde, quo in adverbio particula *inde*, quoniam spectat ad locum, unde quid venit, efficit, ut *pro* eundem sensum habeat atque in exemplis, ubi cum verbis movendi coniunctum est.[6]

---

[1]) Metaphorice: Pl. Bacch. 567: *tuis me prolectas probris.*

[2]) libri: *revocavit*, corr. Bothius.

[3]) Hoc exemplo satis apparet, quomodo vis metaphorica evaserit; nam qui ex acie provocatur, is ad certamen vocatur. Pl. Curc. 355: ***Provocat** me in aleam, ut ego ludam*, Ep. 665, Stich 770, Ter. Ad. 878, Pl. Truc. 954 (*provocator*).

[4]) *Cloacam* idem significat atque *ventrem*; cf. Hor. sat II 4, 27: *leni praecordia mulso prolueris.* Primo *proluere* significavisse puto *luendo ex re quadam proferre*: „etwas aus einem Körper durch Spülen herausbringen". i. e. „den Körper ausspülen".

[5]) cf. Tab. Ig. IIa 28: *krematru prusectu* (= **crematra prosecato*) (Planta).

[6]) cf. Skutsch, Forschungen I 86 sqq.

§ 4. Eodem loco habenda sunt verba creandi cum *pro* composita; nam ut ea, quae prodeunt, sic id quoque, quod procreatur, conspicuum fit et quasi ex concluso loco, quo conspici non potuit. in conspectum prodit.

procreare. — Pl. Rud. 1284: *lenones ex Gaudio credo esse procreatos*; Pac. trag. 68: *Triplicem virili sexu partum procreat*, Pl. Aul. 148, Mil. 682, Pac. trag. 403.

producere. — Pl. Asin. 544: *produxisti filiam*; Capt. 763: *liberos produxerim*, Luc. 679; Rud. 1173: *te produxi pater*; Ter. Ad. 314: *illud produxit scelus*; Enn. ann. 114: *O pater, o genitor, Tu produxisti nos intra luminis oras*; Luc. 523: *hi, quos divitiae producunt.*[1]

proferre. — Auct. ad Her. IV 7: *cum parere et ipsi gignere et proferre debent*; Pl. Cas. 687: *dolum . . . hunc protulerunt*; Naev. com. 19: *qui primum holitor cepam protulit.*

procudere. — = cudendo procreare. Pl. Pseud. 614: *procudam ego hodie hinc multos dolos.*

progignere. — Pl. Pseud. 492: *Quia nolebam ex me morem progigni malum*; Truc. 699: *Neque gnatust neque progignetur . . . Quoi ego nunc dictum . . . velim.*

prognatus. Pl. Ep. 170b—172: *qua ex tibi commemores . . . filiam prognatam*; Ep. 35: *prognatus Theti*; Enn. ann. 37: *Euridica prognata*; 521: *corpore tartarino prognata.*[2]

proles. — = **pro-oles* (**pro-alesco*).[3] Inc. inc. trag. fab. 121: *sanguine exortam tuo Prolem.*

prosapia. — ex **pro-sapare.*[4] Pl. Curc. 393, Merc. 634, Cat. orig. I 28.

Usus creandi verborum similis exstat in

procedere. — Pl. Most. 999: *Numquid processit ad forum . . . novi?*; Rud. 596: *hac nocte quae processit proxuma.*

[1]) cf. p. 19, not. 1.

[2]) Ceteris locis tantummodo metaphorice adhibitum est: Pl. Ep. 107: *genere prognatam bono*, Pl. Aul. 212, Capt. 170, Poen. 1201, Ter. Phor. 115, Cil. I 204,5 (*ab ieis*); Pl. Amph. 365: *Davo prognatum patre*, Amph. 614, Men. 408, 1078, 1079, Inc. inc. trag. fab. 108, Naev. 49, Cil. I 30, 33: absolute: Pl. Amph. 650, Cas. 399, Rud. 217.

[3]) Walde, Etym. W. p. 493, Vaniček 21.

[4]) Vaniček 346; sicut in vernacula quoque lingua „werfen" adhibetur pro *pariendo* de animalibus.

III. De vi, quae spectat ad locum, ad quem quid movetur.

Veniamus nunc ad eam vim, quae spectat ad locum, ad quem quid movetur. Haec significatio, quamquam illi, quam supra demonstravimus, plane contraria est, tamen ex eadem movendi ratione orta est; loca tantummodo eorum, qui particula utuntur, diversa sunt; iis enim, qui extra conclusum stant, personae vel res, quae promoventur, quasi ex concluso venire videntur; iis autem, qui intra conclusum sunt vel se esse fingunt, eaedem personae vel res non ex loco quodam venire, sed quasi finem quendam extra conclusum situm appetere videntur.

§ 5. Quo fit, ut *pro* saepissime habeat eundem sensum atque Graecum πρόσω.

procedere. — Turp. com. 97: *remulis sensim celox ab oppido processerat*; Ter. Andr. 128: *Funus interim procedit*; Sisenn. 51: *protinus procedundo posset intra fines Aesculapiorum pervenire.* [1])

progredi. — Pl. Men. 754: *progedi<ri>* [2]) *properabo*; Pseud. 859: *Siquo hic gradietur, pariter progredimino*; Acc. trag. 129: *Forte aliquanto solito lembo sum progressus longius*; Nov. com. 92: *I primus, progredi*; [3]) Cat. orig. II 11: *ut se ipsa stans sustinere non possit neque progredi*; Pl. Saturio II: *Retrahi nequitur, quoquo progressast*; Auct. ad Her. III 5: *nimium progredi dissuadebimus*; Laber. com. 35: *quo quidem Me a matronali pudore prolubium meretricium Progredi coegit*; Auct. ad Her. III 1: *ad hanc utilitatem . . . progredi possis.*

---

[1]) Metaphorice: a) de tempore: Enn. ann. 339: *nox processit*; Cat. d. agr. 148,1: *dies emptori procedent*, Cil. 206 92, 102, 103. b) de personis: Pl. Stich. 484: *processi sat ego hac* (sc. via); Ter. Ad. 979: *Syre, processisti hodie pulchre*; Auct. ad. Her. IV 69: *aliquantulum processimus.* c) de rebus bene gestis: Pl. Amph. 463: *Bene prospere hoc . . . processit*, Mil. 947, Most. 735, Pers. 115, 452, Rud. 90, Ter. Ad. 897, Acc. trag. 312, Turp. com. 137 (*processe* Gifanius; libri: *prodesse*), Enn. ann. 465, Cat. orig. V 1. d) de rebus male gestis: Pl. Capt. 467: *minus procedat quicquid facere occeperit*, Cas. 805, Stich. 495, Ter. Andr. 671, Luc. 234. e) de incerta re: Pl. Poen. 817: *Exspecto, quo pacto meae techinae processurae sient.*

[2]) addidit Bothius.

[3]) sic libri; mihi non videtur corrigendum esse *progredi* in *praegredi* (Ribbeck), nam *praegredi*, quod nullo alio loco exstat, idem est atque *I primus-*

provenire. — Metaphorice tantummodo adhibetur, praecipue de personis, quae bene vel male rem gerunt; de rebus non tam saepe, quam *procedere.*[1])

procurrere. — Auct. ad Her. IV 47: *ut productus studio . . . facile procurras.*

profluere. — Auct. ad Her. I 23: *obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem.*

proficere. — Luc. 1021: *non proficis hilum*; Auct. ad Her. IV 52: *quid est, quod verbis proficere possim,* IV 35, IV 66.

proficisci. — i. e. „sich vorwärts machen", non „sich fortmachen".[2]) Ex multitudine exemplorum habeas haec: Pl. Merc. 939: *Porro proficiscor quaesitum*; Amph. 734: *cum exercitu Hinc profectus sum ad Teloboas*; Curc. 1: *Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras.*

promovere. — Pl. Pers. 311: *venito, promoveto*; Ter. Eun. 913: *Move te oro ocius, Mea nutrix. — Moveo. — Video, set nihil promoves.*[3])

producere. — Auct. ad Her. I 4: *producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur* (IV 58); IV 60: *ut productus studio et viribus ultra facile procurras.*

properare. — ex **pro-parare.* Exstant nonnulla exempla, ubi *properare* verbum transitivum est: Pl. fab. inc. XLIV: *properate prandium*; Poen 505: *qui quicquid agit, properat omnia.* Ceteris in exemplis, quorum permulta exstant, e transitivo intransitivum factum est sicut *celerare,*[4]) velut Caec. com. 46: *rem iam omnem propero incursim perdere.*[5])

---

[1]) Metaphorice: de personis: Pl. Truc. 385: *Quomque bene provenisti salva, gaudeo,* 516; male: Stich. 398, Rud. 837. de rebus: Pl. Pers. 456, Most. 414; male: Luc. 667, Pl. Men. 964.

[2]) sic Lindsay-Nohl, Die latein. Spr., p. 552; haec vis sine dubio posterior est quam „sich vorwärts machen". cf. § 7.

[3]) Metaphorice: Ter. Andr. 711: *Quantum hinc promoveo nuptias,* Andr. 640, Claud. Quadrig. 60 (nihil), Ter. Hec. 703 (parum).

[4]) cf. Elter, Rhein. Museum 41 p. 544.

[5]) Videmus igitur *pro* particulam, ubi „vorwärts" significat, in celeritatis vim transferri posse (cf. *gradum proferam, prolato pede* p. 12). Ex copia exemplorum unum afferam: Pl. Merc. 326: *Ad portum propero.*

propagare. — Pac. trag. 233: *Vitam propagans exanimis altaribus*; Inc. inc. trag. fab. 101: *Iove propagatus est:* [1]) 103: *Atreus, qui nostrum porro propagat genus*; Cat. d. agr. 32,1: *vites propages in sulcos*; et alia exempla.

provolvere. — Ter. Andr. 777: *iam ego hunc in mediam viam Provolvam*; Sisenn. 104: *Subito mare persubhorrescere caecosque fluctus in se provolvere leniter occepit.*

proferre. — Pl. Aul. 650: *ambas* (sc. manus) *profero*, Pseud. 860; Men. 754: *gradum proferam.* Enn. trag. 181; Caec. com. 256: *veni prolato pede.*

protollere. — Pl. Pseud. 860: *Manum si protollet.*

propando. — Acc. trag. 255: *Nam flori crines video ut propessi iacent.*

proicere. — Enn. ann. 233: *eques atque elephanti Proiciunt sese*; Lab. com. 83: *Hoc voluit clipeum contra peluem proici*: Claud. Quadrig. 10b: *scuto proiecto* (Sisenn. 7); Sisenn. 7: *ilex, quae circum proiectis ramis maiorem partem loci summi tegebat.*

propellere. — Pl. Rud. 672: *sacerdotem anum . . . Reppulit, propulit perquam indignis modis*; Luc. 259: *propellere iniquos*; Auct. ad Her. IV 47: *propulsare* sc. crimina. [2])

propendere. [3]) — Pl. Bacch. 513: *Ramenta fiat plumea propensior*; 519b: *Ramenta fiat gravior aut propensior*; Pl. Asin. 305: *Ubi manus manicae complexae sunt atque adductae ad trabem, Nec dependes nec propendes.*

[1]) sic libri praeter A. B. Monac., qui habent *propugnatus*; Ribbeck: *patre prognatus.*

[2]) cf. § 7.

[3]) Qua ratione vis verbi propendendi hoc loco intellegi possit, apparet ex Vitruv. 10,3 (ed. Rose): *Cum enim ansa propius caput, unde lancula pendet, ibi ut centrum est conlocata et aequipondium in alteram partem scapi, per puncta vagando quo longius aut etiam ad extremum perducitur, paulo et inpari pondere amplissimam pensionem parem perficit per scapi librationem examinatio.* (Daremberg et Saglio, Dictionnaire des Antiquités III 2 p. 1226.) Romanam enim libram ita instructam esse notum est, ut ab altera parte loco ansae propiore fixa lancula pendeat, ab altera aequipondium in scapo longius eminente pendens vel *propendi* (i. e. *promoveri*) vel *retro moveri* possit.

proclivis. — nostra in lingua „sich vorwärts neigend". Ter. And. 78: *ingeniumst omnium Hominum ab labore proclive ad lubidinem*; de terra: Pl. Asin. 710: *ut descendam nunciam in proclivi*; Naev. com. 24: *nuces in proclivi . . . profundere*, Pl. Capt. 336.[1])

procerus. — *pro-c(r)erus*[2]) „vorwärts-, emporgewachsen". Enn. ann. 190: *Pinus proceras*; Pac. trag. 254: *facie procera*; Turp. com. 46: *bracchia procera*; Claud. Quadrig. 12: *Dux vasta et ardua proceritate.*

pronum. — Ter. Ad. 316: *Sublimen medium arriperem et capite pronum*[3]) *in terram statuerem.*

protinus. — ex *pro-tenus*;[4]) quod fortasse primo fuit adiectivum quoddam secundae declinationis, quod, sicut *prorsus, deinceps*, *mordicus* e. a., in adverbium commutatum est. Pl. Capt. 510: *Ego*[5]) *protinus ad fratrem inde abii*; Pseud. 587: *ad oppidum hoc vetus continuo meum exercitum protinus obducam*; Sisenn. 6: *inde Romam protinus profugerant*; Sisenn. 51: *ut crebro ferculis protinus procedundo posset intra fines Aesculapiorum pervenire*; Sisenn. 56: *Protinus agros populabundus ad Nuceriam convertit*; Afran. com. 107: *protenis recta domum Digredimur.*[6])

protinam. — quod adverbium exortum esse putaverim ex accusativo, quae spectat ad spatium: *protinam*

Si res graviores in lancula positae sunt, pondus promovendum est, si leviores, retro movendum. Quoniam pondus *propensum* graviorem rem in aequilibrio tenet, ipsum quasi gravius esse videtur quam pondus non promotum vel retro motum; qua ex re facile fieri potuit, ut *propensus* eundem sensum acciperet atque *gravior.* (Germanice: „schwerer, d. Übergewicht habend", *propensior* „mehr Übergewicht habend".) *Propendēre* ad analogiam participii fictum esse putaverim.

[1]) Metaphorice: Ter. Andr. 701: *Id faciam, in proclivi quod est*; Pl. Mil. 1018: *fecisti modo mihi ex proclivo planum* (Rud. 1132); Asin 663: *istuc proclivest.*

[2]) Brugmann, Sitzungsberichte der sächs. Ges. der Wiss. 1900, p. 403 sqq.; Osthoff, Parerga I, 15 sqq.

[3]) cf. Spengel, Terenz Ad. 2. Aufl. ad. h. v.; libri: *primum.*

[4]) Wöllflin. A. f. L. I 425 sq.; Sommer, Indogerm. Forsch. XI 63 sq.

[5]) libri *eo*, corr. Skutsch.

[6]) Metaphorice: Tubero 1: *Si quod a parentibus acceptum protinus antiquae memoriae tradiderunt.*

(sc. viam); qua ex re intellegi potest, cur non nisi de loco adhibeatur.[1])

Pl. Bacch. 374: *me continuo contuli protinam in pedes*; Cas. 959: *Hac dabo protinam et fugiam*; Curc. 363: *exinde me ilico protinam dedi*; Mil. 1193: *Prorsum Athenas protinam abibo tecum*; Pers. 680: *ne cum argento protinam permittas domum*; Pl. Astraba VI: *Dare pedibus protinam sese ab his regionibus*; Ter. Phor. 190: *hinc me conicerem protinam in pedes*; Naev. com. 35; 61.

procus.[2]) — *reciprocus* = *reco-proco-s*: Acc. trag. 545, Pl. Astraba III; et alia exempla. *proceres:*[3]) Pl. Bacch. 1053, Acc. trag. 325. *procul:*[4]) Hoc in vocabulo *pro* in aliam quandam vim translatum est; propterea infra singulatim tractabitur.[5])

**provortere.* — Non exstat nisi in usu participiali vel adverbiali; ex exemplorum copia habeas haec: Pl. Pseud. 955: *Ut transvorsus. non provorsus cedit*; Enn. trag. 104: *rusus prosus reciprocat fluctus feram*; Pers. 677: *Simulato quasi eas prorsum in navem*; et alia exempla.

procumbere. — i. e. *provorsus cumbere.* Pl. Mil. 762: *procumbunt dimidiati.*

prolabi. — i. e. *provorsus labi.* Acc. trag. 394: *Ruit prolapsa* sc. moles.

procellere. — i. e. *provorsum cellere aliquem.* Pl. Mil. 762: *procellunt se et procumbunt dimidiati.*

prosternere. — i. e. *provorsum sternere aliquem.* Pl. Men. 938: *me iunctis quadrigis minitatu's prosternere*; Trin. 109: *ad paupertatem prostratum esse*;[6]) Ter. Ad. 319: *tunderem et prosternerem*; Acc. trag. Brut. 25: *prostratum terra.*

[1]) Ussing, ed. Plaut. ad Bacch. 374, cf. Langen, Kritische Beitr., p. 163. De pronuntiationis differentia, quae exstat inter *prōtinus* et *prŏtinam*, nihil certum dici potest; cf. § 23.

[2]) *procus* non latinae linguae soli proprium est, sed invenitur in Indogermanica quoque lingua: cf. Walde, Et. W. p. 492; Brugmann, Rhein. Mus. 43, p. 402; Wackernagel, K. Z. 33 p. 41.

[3]) quod vocabulum ex *procus* compositum est ad analogiam vocabuli *pauperes*: cf. Brugmann, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1901, p. 107 sq.

[4]) cf. Corssen, Krit. Nachträge 136 sq.; Brugmann, Rhein. Mus. 43, 404; Osthoff, Ind. Forsch. VIII 45.

[5]) p. 17 sq.

[6]) B: *prostractum*; ceteri libri: *protractum*; corr. Bergk.

§ 6. Forsitan particulae *pro* in his verbis usus fuerit causa alterius usus, qui non iam plane perspicuus est. Primo fortasse *procumbere* et *prosternere* significabant nihil aliud nisi „sich vorwärts niederlegen" vel „vorwärts niederstrecken"; postea autem illud „nieder", quod non inest praepositioni, sed verbis ipsis, plus valebat quam illud „vorwärts". Quo factum est, ut illud „nieder" praepositioni ipsi falso imputatum in alia quoque verba una cum praepositione transferretur.

profligare. — Pl. Mil. 230: *Nos inimicos profligare posse.*

proterere. — Pl. Amph. 246: *proterunt hostium copias*; Men. 864: *ego hunc proteram leonem*; Truc. 268: *quasi sus catulos pedibus proteram*; Syr. sent. 461: *poena ad malum serpens ut proterat*[1]) *venit*; Auct. ad Her. IV 66: *eam* (sc. urbem) *patimini nunc ab homunculis deterrumis proteri.*

§ 7. Quoniam id, quod promovetur, ab iis, qui intra conclusum sunt, quasi abire videtur, *pro* non raro particulae *a* est similius.

profugere. — Pl. Capt. 9: *Eumque hinc profugiens vendidit in Alide*, Capt. 18; Cas. 932: *Inde foras tacitus profugiens exeo*; Trin. 701: *Effugias ex urbe inanis, profugus*[2]) *patriam deseras*; Ter. Ad. 385: *hinc egens Profugiet aliquo*; Haut. 528, Acc. trag. 192. Cat. orig. II 27, Sisenn. 6.

protrudere. — Afran. com. 314: *Domo atque nostra familia protruditur.*[3])

protelare. — Ter. Phor. 213: *Ne te iratus suis saevidicis dictis protelet*; Sisenn. 27: *Romanos inpetu suo protelant, protelatos*[4]) *persecuntur*[5]), Sisenn. 69; Turp. com. 91: *Patria protelatum esse saevitia patris.*

---

[1]) *cum proterat* F, *ut proterat* Gruterus, *hau properans* Ribbeck.

[2]) *profugiens* libri, corr. Camerarius.

[3]) *provenditur* ω; *protruditur* an *proverritur* scribendum sit, dubitat Ribbeck.

[4]) *protelatos* Mercerus, *prolectus* codices Noniani L. W. F., *proiectos* Popma.

[5]) Hoc ex loco perspicuum est *pro* significare „von — weg" non „vorwärts, vor sich her"; nam si *pro* significaret „vor sich her", verbis *protelare* et *persequi* bis idem diceretur.

proturbare. — Auct. ad Her. IV 12: *ut eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, praecipitem proturbetis ex ea civitate.*

proterrere. — Pl. Trin. 703: *hinc proterritum te . . . autument*; Ter. Haut. 446: *Proterruisti hinc.*

§ 8. Propria[1]) vis particulae *pro* significat, ut vidimus, aliquid ex concluso in apertum moveri. In aperto autem non sunt fines impedientes, ne quid longius moveatur. Quo fit, ut *pro* saepius significet aliquid moveri in infinitum, in immensum locum.

prospicere. — i. e. *in apertum spicere* sicut nostra in lingua: „mit freiem, klaren Blick". Pl. Amph. 1059: *nec oculis prospicio satis*; Curc. 317: *prospicio parum* (Ter. Phor. 735); Ter. Ad. 335: *quod ad hunc rem opus est, porro prospice*; Caec. com. 197: *prospexisse eum*; Syr. sent. 2: *Progredere et, ne quis latibuletur, prospice*;[2]) Auct. ad Her. IV 68: *Graccus prospexit fluctuare populum.* Primo *prospicere* non nisi de spatio locali dici potuit; postea hic usus transferebatur ad spatium temporale; futurum enim tempus cum loco infinito comparari potest; is autem, qui in infinitum spatium temporis futuri spectat, videt futura atque ea prius quam ceteri. Quo fit, ut *pro*, sicut *prae*, temporalem vim acceperit. Sed non obliviscendum est hunc usum ex verborum movendi usu exortum esse; videndi enim verbis aliquid motus inest; idcirco ea semper fere cum praepositionibus coniunguntur, quae spectant ad locum, unde aut ad quem quid movetur: qua ex re intellegi potest, cur dicatur *providere, prospicere,* non dicatur **procavere, prosentire,*[3]) sed *praecavere, praesentire*; nam verbis *cavere* et *sentire* illa movendi vis non inest.

Temporalis usus exempla in Plauti fabulis nondum exstant.[4]) Luc. 743: *prospiciendum . . . in senectam nunc ab adulescentia est*; Ter. Ad. 388: *quae futura sunt, prospicere*; Haut. 391:

[1]) sc. in verborum movendi usu.

[2]) sic Urbinus 307, *perspice* ceteri libri.

[3]) *prosentire*, quod Pl. Mil. 1152 libri tradunt, Lorenz et Brix recte reiciunt.

[4]) Pl. Mil. 597: *Sinite me prius prospectare* (*prospectare* cod. B., *perspectare* rel.) *ne uspiam insidiae sient.* — Hoc loco *prius,* non *prospectare* ad futurum spectat.

Nisi si prospectum interea aliquid est, desertae vivimus; 638: *Quam bene abs te prospectum est, quod voluisti, cogita*; Hec. 549: *Tun prospicere aut iudicare nostram in rem, quod sit, potes?*; 561: *aderam, cuius consilio ea par fuerat prospici*; Eun. 762: *Malo ego nos prospicere quam hunc ulcisci accepta iniuria.*

prospectare. — Ter. Hec. 320: *Nescio quod magnum malum Prospecto.* — *prospectus*: Non invenitur nisi in exemplis, ubi localis vis, non temporalis exstat. Pl. Mil. 609: *Sterilis hinc prospectus usque ad ultumamst plateam*; Enn. trag. 146: *caligo oborta est, omnem prospectum abstulit*; Acc. trag. 407: *alte ex tuto prospectum*[1]) *aucupo*; Claud. Quadrig. 12: (sc. corvus) *prospectum alis arcebat.*

providere. — De spatio locali: Pl. Asin. 450: *Non hercle te provideram*; Ter. Andr. 183: *Erus est, neque provideram.* De spatio temporali: Pl. Amph. 1071: *Neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit, neque providimus*; Ter. Andr. 208: *Quae si non astu providentur, me aut erum pessum dabunt*; Pac. trag. 407: *si qui quae eventura sunt provideant*; Auct. ad Her. II 7: *id ante sciri et ratione provideri non potuit.* Eodem ex usu exortum est *improviso.* Ex multitudine exemplorum afferam hoc unum: Pl. Rud. 1192: *ex improviso filiam inveni meam.*[2])

procul.[3]) — Primo *procul* eis locis positum esse putaverim, quibus exprimitur aliquid nullis finibus impeditum longe ab aliqua re removeri (nostra in lingua „in die Ferne").[4]) Pl. Capt. 218: *Secede huc nunciam procul*; Mil. 357: *ego abs te procul rece-*

---

[1]) sic Gulielmus Veris. I 21; *prospectans* libri.

[2]) Multis locis *pro* in *prospicere* et *providere* eundem sensum habere videtur atque in *prodesse* et *procurare*; quibus in exemplis *pro* non respicit ad commodum (*spicere* vel *videre pro aliquo*), sed potius hae dictiones significant *prospicere* vel *providere commodo alicuius* i. e. „Ausschau halten für jem." *prospicere*: Apud Plautum exstat unum exemplum: Pl. Trin. 688: *Nolo ego mihi te tam prospicere*; Ter. Phor. 963: *nisi mihi prospicio, haereo*; Ad. 589, 689, Haut. 961, Phor. 782, 1036, Turp. com. 173, Afran. com. 193, Naev. com. 25 (*prospicare*). — *providere*: Pl. Capt. 643: *exploratum dico et provisum hoc tibi*; Most. 526, Ter. Haut. 116, Phor. 779, Auct. ad Her. IV 13.

[3]) cf. *procus* p. 14.

[4]) Huius usus exempla in Terenti fabulis non iam exstant.

dam; Pers. 467: *apscede procul e conspectu*; Afran. com. 200: *procul concessero*; et alia exempla.[1])

profundus. — i. e. id, quod habet fundum in immensum pertinentem.[2]) Acc. trag. 402: *Molem ex profundo saxeam ad caelum erigit*; Enn. ann. 546: *caelus profundus*; Tub. 9: *profundas tenebras*; Sent. Tur. 663: *profunda ignorantia*; Pl. Capt. 182: *Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi.*

profundere. — i. e. fundere in infinitum, non conclusum locum. Ter. Ad. 134: *si tibi istuc placet, profundat, perdat*; Naev. com. 24: *nuces in proclivi . . . profundere*; Acc. trag. 390: *profusus flamine hiberno gelus*; Sisenn. 101: *Profuse*[3]) *atque abunde*; Pac. trag. 321: *Profusus gemitu.*

prolixus.[4]) — Ter. Haut. 290: *Capillus passus prolixus circum caput*, Ter. Ad. 943, Eun. 1082, Cat. orig. V 1.

§ 9. Ut supra vidimus, *pro* particula eis in verbis, in quibus significat aliquid moveri ad locum finibus non conclusum, facile transfertur a spatio locali ad spatium temporale; quo ex usu exorta est alia vis eaque verbis differendi similis.

proferre. — Pl. Capt. 78/9: *Ubi res prolatae sunt, quom rus homines eunt, Simul prolatae res sunt nostris dentibus*; 82: *rebus prolatis* (85); Ter. Andr. 329: *aliquot dies profer*, Cat. orig. V 1; Luc. 1046: *sperans aetatem eandem hanc proferre potesse.*

protollere. — Pl. Cas. 447: *protollo mortem mihi*; 680: *neque viri vitam sinere In crastinum protolli*; Luc. 7: *at lustrum hoc protolleret unum.*

producere. — Ter. Ad. 591: *hunc producam diem*; Andr. 615: *huic malo aliquam producam moram*; 648: *Nisi me . . .*

[1]) Locum, ubi quid est (nostra in lingua: „in der Ferne"), significat velut hoc loco: Ter. Ad. 438: *quem video procul* (et alibi); locum, unde quid venit (nostra in lingua: „aus der Ferne"), significat his locis: Pl. Asin. 391: *procul siquem videt ire ad se*; Capt. 603: *procul . . . audiam* (et alibi).

[2]) In *profundus* eadem componendi ratio exstat atque in *praeceps*, quod vocabulum significat id, quod caput prae habet.

[3]) *perfuse* vel *perfusae* libri; correxit Lipsius.

[4]) Walde, Et. W. p. 494: „zu *lixa, liquor* (Vaniček 237), Gdbed: weit vorwärts geflossen, *effusus*". — cf. *profusus* (Sisenn. 101). Eodem loco fortasse habendum est *productus*. Pl. Nervol. IV: *Producte* (libri: *Productae*) *prodigum esse amatorem addecet.*

falsa spe produceres; Luc. 907: *si longius te producturum et diutius*; Auct. ad Her. IV 34: *qui vitam produceremus.*[1])

prodere. — Ter. Andr. 313: *aliquot saltem nuptiis prodat dies*; Cat. orat. inc. 12: *Te . . . diem prodidisse*[2]) *militibus*; Luc. 214: *an porro prodenda dies sit.*

prorogare.[3]) — Plaut. Aul. 531: *Spes prorogatur militi in alium diem*; Pseud. 827: *prorogare vitam possis hominibus.*

IV. *pro* idem fere significat atque *coram, in publico.*

§ 10. Primo significat *pro* aliquid versari extra locum quendam certum. Postea autem haec vis eo modo mutata et amplificata est, ut *pro* significet non iam *extra certum quoddam tectum,* sed prorsus *extra quodvis tectum* i. e. *in publico.*

prodire.[4]) — Pl. Pers. 72: *Ut aequa parti prodeant ad tris viros*; Cat. orig. VII 1: *Multa me dehortata sunt huc prodire*; Auct. ad Her. IV 4: *in stadium rhetoricae prodire non audent*; IV 19: *in forum prodire*, Pl. Men. 213; Auct. ad Her. IV 60: *citharoedus cum prodierit.*

provenire.[4]) — Naev. com. 62: *Proveniebant oratores novi*; Pl. Capt. 222: *malum maximum, si id palam provenit.*

producere. — Ter. Haut. 144: *Omnis produxi ac vendidi*, Eun. 134; Semp. Asell. 7: *eum, quem virile secus . . . habebat, produci iussit populoque commendavit*; Sisenn. 43: *Servulum . . . in populum produxit*; Cil. I 198 34: *libros leiterasve . . . producere proferreque volet.*

---

[1]) Huic usui similis est ea vis, quae exprimit aliquem per spatium temporis porro duci (nostra in lingua: „jem. aufziehen“): Pl. Bacch. 455: *qui illum produxit sibi*; 457: *rite productust patri*; Auct. ad Her. IV 55: *Aluit haec me; tute atque honeste produxit usque ad hanc aetatem.* Eadem ratio exstat: Auct. ad Her. IV 29: *Productione eiusdem litterae.*

[2]) *prodisse* libri; corr. Ursinus.

[3]) Translatum est sine dubio ex usu in contione vigente; *prorogare* idem est atque *rogationem* (cf. Mommsen, Röm. Staatsr. III 1,303) *proferre.*

[4]) Exstant exempla, quae, quamquam persimilia sunt, tamen ex alio usu sunt exorta. Pl. Pseud. 568: *in scaenam provenit* sc. ex tabernaculo histrico; item: Amph. 93: *prodit in tragoedia*; Cas. 9: *novae quae prodeunt comoediae.* Pl. Amph. 90: *novom Nunc proferatur*; 118: *rem novam ad vos proferam*; cf. § 3.

prodigere. — *= foras agere.*[1]) Pl. Aul. 380: *festo die siquid prodegeris, Profesto egere liceat,* Merc. 1020; Naev. com. 84: *Qui hic anteparta patria peregre prodigunt*; Caec. com. 74: *Prodigere et, cum nil habeas, ted inridier*; Pomp. com. 162: *Alter amat potat prodigit.*

proponere. — Cil. I 198 38: *proscripta propositaque palam apud forum habeto*; Cil. I 205,1 26: *inalbo propositam habet* (sc. stipulationem); Cil. I 206,17, Luc. 932, Afran. com. 370, Auct. ad Her. II 46, III 3, IV 21, IV 35 (bis), IV 48, IV 60.

proscribere. — Cil. I 198 66: *apud forum palam, ubei de plano recte legi possit, proscribito*; Cil. I 205,2 47 et 52: *bona eorum . . . proscreibeive veneireque iubeto,* Cil I 206,17.

prostare. — Pl. Curc. 507: *Hi saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso*; Pomp. com. 156: *quam ob rem hic prostat?*; Syr. sent. 18: *Palam prostare nudam in nebula linea.*

proseda. — i. e. ea, quae ante lupanaria coram publico sedet. Pl. Poen. 266.

prostituere. — Pl. Pseud. 178: *cras poplo prostituam vos*; 231: *ne amicam hic meam prostituat*; Cat. orig. II 3: *eius famam prostitueret.*

proicere. — Pl. Cist. 124: *Puellam proiectam ex angiportu sustuli,* Cist. 167, 191, 618, 619; Afran. com. 347: *ut partum proiceret pater*; Sisenn. 95: *apud Iguvinos ac Perusinos eius facti mentionem proiecit.*

protrahere. — Auct ad Her. IV 65: *cuiuscis studium protrahi potest in medium.*

prodere. — i. e. aliquem in publicum dare sic, ut sine tecto et praesidio sit. Pl. Bacch. 963: *Ulixem . . . esse proditum Hecubae*; Ter. Ad. 692: *Prodidisti et te et illam miseram*; Enn. ann. 428: *rem prodere summam*; et alia exempla.

profiteri. — i. e. coram publico fateri. Pl. Capt. 480: *quis profitetur?*; Men. 643: *Neque vis tua voluntate ipse profiteri*;

[1]) sicut nostra in lingua: „zum Fenster hinauswerfen", „auf die Straße werfen", sed fortasse emanavit hic usus ex huius generis exemplis: *agere ex stabulo* (sc. *pecus*) (Skutsch).

Ter. Eun. 3: *nomen profitetur suom*; Enn. trag. 293: *Te ipsum oportet hoc profiteri et proloqui Advorsum illam mihi*; Inc. inc. trag. fab. 52: *Quem ego me profiteor esse*; Cil. I 200 54: *idque quom profitebitur*; Cil. I 200 56: *utei curator eius profiteatur item*; Cil. I 206 3: *hac lege profiterei oporteret*; Cil. I 1418: *quei quaestum spurcum professi essent*; Auct. ad Her. IV 48: *se nemo vestri defensorem profiteatur*; et alia exempla.

profari. — Enn. ann. 563: *Contra carinantes verba atque obscena profatus*; Pac. trag. 145: *maternum* (sc. nomen) *pudet profari*; 325: *haud sinam quidquam profari.*

prodicere. — Cil. I 198 65: *Quei praetor ex hac lege tribuendei causa prodeixerit, is, utei quod recte factum esse volet, facito quomodo prode(ixerit).*

proloqui. — Pl. Amph. 50: *quam rem oratum huc veni, primum proloquar, Post argumentum huius eloquar tragoediae*;[1]) Capt. 6: *Id ego hic apud vos proloquar*; Ter. Ad. 690: *te mihi ipsum puduit proloqui, Qua resciscerem*; Phor. 283: *non potuit cogitata proloqui*; et alia exempla.

proferre. — praecipue *verba* vel *exempla.* Pl. Amph. 890: *Nolle esse dicta, quae in me insontem protulit*; Ter. Phor. 395: *Progeniem vestram usque ab avo atque atavo proferens*; Cat. d. re mil. 1: *quae scripta sunt si palam proferantur*; Auct. ad Her. IV 54: *aliis verbis . . . eadem res proferetur*; et alia exempla.[2])

---

[1]) Non recte dixit Lindsay, ed. Pl. Capt. ad versum 6: *Proloquar, of the prologue, also in Amph. 50, Cist. 151*; nam *proloqui* est *dicendo proferre* ea, quae quasi in concluso versata a ceteris antea non cognosci possunt i. e. cogitata sua; *eloqui* est *edicere* ea, quae alii quoque sciunt. Ter. Phor. 283: *cogitata proloqui*; sed Pl. Amph. 200: *audita eloquar.* Haec differentia hoc loco etiam plane perspicua est. Qua de causa Mercurius, qui haec verba facit, venerit, nemo scit nisi Mercurius ipse, argumentum autem alii quoque, velut histriones, sciunt: qua ex re cogitata sua secreta proloquitur, argumentum autem eloquitur. Sed plurimis locis differentia non iam invenitur, quia ambae elocutiones commiscebantur. cf. § 2.

[2]) Hoc loco sine dubio habendum est Pl. Mil. 253: *Quantum vis prolationis?* Nam *prolatio* est id, quod verbis prolatum, sed non cogitatum est (Germanice „Vorwand"). Singularis est hic locus a ceteris diversus: Pl. Rud. 988: *piscatorem vidisti . . . piscem . . . protulisse . . . in forum*; cf. *produco, proscribo.*

pronuntiare. — Sempron. Asell. 1: *quod factum esset, id pronuntiare*; Auct. ad Her. IV 69: *graviter et venuste pronuntiabimus.*[1])

propalam.[2]) — Pl. Ep. 12: *Rapio propalam*; Mil. 1348: *timeo ne hoc tandem propalam*[3]) *fiat*; Pers. 446: *At ne propalam* (sc. facito mulier ad me transeat).

prognariter.[2]) — Pl. Pers. 588: *indica prognariter*; Enn. ann. 209.

V. De vi suppletoria.

Ceterorum exemplorum multitudo in una propria vi posita est eo modo, ut ex ea ipsa non omnes, sed duae dicendi rationes exortae sint, quarum ab altera ceterae omnes dictiones pendeant.

§ 11. Plurimorum exemplorum quasi fundamentum est ea dictio, in qua *pro* idem est atque *loco alicuius* sive *personae* sive *rei.* Hac in dictione significat *pro* aliquem facere id, quod alter facere voluit vel debuit. Inde apparet, qua de causa *pro* praepositio, neque vero alia, quae similem vim habet, sicut *prae* vel *ante,* in hunc usum translata sit. Ut supra vidimus, significat *pro* aliquid esse ante locum, ex quo egressum est; respicit ergo ad interiorem partem eius rei, ante quam est. Qua de re existimaverim *aliquem facere aliquid pro aliquo* primo nihil aliud significavisse atque *aliquem facere aliquid loco eorum, quorum ex ordine progressus est*; velut miles, qui pro exercitu i. e. ex ordine militum progressus singulatim pugnat,[4]) exercitus loco pugnat. Item putaverim *pro aliquo sacrificare* primo significavisse eum, qui sacrificat, pro eis, qui sacrificio intersunt, i. e. progressum ex eorum ordine sacrificium facere; velut Cat. d. agr. 143,1: *pro tota familia rem divinam facere*; Cil. I 188: *pro po[plod] [di]ti Diove dede[re]*; Cat. d. agr. 143,1, Pl. Ep. 414, Truc. 423a.[5])

---

[1]) Nullo alio loco *pronuntiare* invenitur nisi apud Auctorem ad Her., in quo libro duodecim exempla exstant, et in inscriptionibus, in quibus quinque exempla inveniuntur.

[2]) cf. K. v. Garnier, Die Präpositionen als sinnverstärkendes Suffix. Diss. Lpzg. 1906, p. 61.

[3]) *pro alla* C. D., *pro illa* B., corr. Camerarius.

[4]) cf. Claud. Quadrig. 10b et 12; p. 5.

[5]) Minus probabile mihi esse videtur id, quod Delbrück (Vergl. Synt. der indog. Spr. I 722) censet: „Der Gedanke der Stellvertretung, der sich im Lateinischen zeigt, z. B. pro magistratu esse oder operas dare, scheint

1. *pro* spectat ad subiectum:

Pl. Cist. 507: *Pro me responsas tibi* (Ter. Haut. 610); Pl. Poen. 334: *ego pro illa spondeo*; Cas. 952: *munus velit fungier Pro me*; Most. 142: *pro imbre amor advenit*; 1131: *ibo pro te* (1132); Ter. Andr. 200: *pro te molam*; Cat. d. agr. 146,3: *proque ea re ita uti S. S. E item pignori sunto*; 148,1: *vinum pro degustato erit*; 150,2: *binae pro singulis in fructu cedent*; Pl. Bacch. 70, 72; Rut. Ruf. 9.

2. *pro* spectat ad obiectum:

a. ad accusativum: Pl. Aul. 493: *mores meliores sibi Parent pro dote*; Ter. Eun. 371: *Pro illo te deducam*; Cat. d. agr. 18,5 *binas pro singulis eo supponito*; Auct. ad Her. IV 43: *si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet.* Pl. Bacch. 67 (bis), 68, 69, 71 (bis), Capt. 229, 435, 939, Cas. 770, Curc. 139, 587, Poen. 1235, 1359, Pseud. 292, Ter. Andr. 918, Eun. 949, 1086, Cil. I 200,27, Auct. ad Her. IV 36, IV 42.

b. ad ablativum: Rut. Ruf. 13: *pro lectis lecticis utebatur*; Acc. trag. 540: *Pro veste pinnis membra textis contegit.*

3. *pro* spectat ad nomen ex obiecto in subiectum commutatum:[1])

Pl. Ep. 490: *pro fidicina haec cerva subpositast*; Luc. 672: *publicanus . . . ut fiam . . . pro Lucilio*; Cil. I 1218: *pro ludeis turris duas d. d. s. faciundas coerarunt*; Pl. Asin. 293, Bacch. 72, Ter. Ad. 346, Eun. 572, 573, 708, 991, 992, Haut. 603, Phor. 602, Cat. d. agr. 14,4, Cil. I 200,22.

4. *pro* spectat ad nomen praedicativum:

Pl. Capt. 546: *qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate* (565).

Ex hac particulae *pro* vi exortus est usus, qui exstat in *pro consule* (velut Cil. I 200,37), *pro praetore* (Cil. I 200,37), *pro quaestore* (Cil. I 423), *pro nepoti* (Cil. I 1157); Cil. I 200 17: *quoi is ager vetere prove vetere possessore datus adsignatusve.*

---

sich aus dem Gedanken des Vorteils entwickelt zu haben, also eigentlich: für den andern, der es gut hat, da er ausruhen kann." Nam primum *loco*, quod idem significat, ipsum quoque ex locali vi exortum est; tum eas dictiones, quae ex hac vi particulae *pro* emanaverint, non nisi ex locali vi exortas esse nemo negaverit. cf. §§ 12, 15.

[1]) Haec exempla non commiscenda sunt cum eis, quae sub 1. enumerantur, sed potius pertinent ad 2., velut cf. Pl. Ep. 490 cum Cat. d. agr. 18,5.

Ex vi, quae significat *loco alicuius*, evaserunt duae dicendi rationes inter se plane diversae.

VI. *pro* idem fere significat atque *quasi.*

Pro particulam primo eis modo locis *loco alicuius* significavisse puto, in quibus verba faciendi posita essent, postea autem eis quoque locis adhibitam esse, ubi aliquis *loco* alicuius non aliquid facit[1]), sed ipse est. Quoniam id, quod pro aliqua re est, saepius sic loco rei est, ut sit rei ipsi simillimum, saepius *pro* similem vim habere videtur atque *quasi, tamquam.* At huius rationis exempla non habent omnia eandem vim, sed diversa sunt inter se vi atque usu. Copia exemplorum est divisa in partes tres.

§ 12. Antiquissimus est ille usus, qui quasi vinculum hanc rationem coniungit cum ea, quae exstat in *loco alicuius.* Ut supra intelleximus, significat *pro* aliquid succedere in locum cuiusdam rei et esse id, quod altera res antea fuit. Primo igitur *pro* significat suppositum esse aliquid loco alterius rei, quae antea re vera praesens fuit. Ut exemplum proferam, *adoptare pro filio* primo nihil aliud significat nisi *adoptare pro vero filio,* qui aut depulsus aut mortuus est. Postea autem eadem elocutio significare poterat *adoptare* non *loco filii veri*, sed *loco filii, qui nunquam exstitit*, i. e. adoptare sic, ut is, qui adoptatus est, non loco filii, sed quasi filius ipse sit. Huius generis exempla non sunt rara in prisca latinitate.

1. *pro* spectat ad subjectum:

Pl. Cas. 802: *tibi amor pro cibost*: Ep. 357: *Ea iam domist pro filia*; Pers. 637: *omne ego pro nilo esse duco.*

2. *pro* spectat ad obiectum:

a. ad accusativum: Pl. Poen. 76: *eumque adoptat sibi pro filio* (Poen. 119); Cist. 172: *educavit eam sibi pro filia*, Cist. 571, Ter. Eun. 156; Pl. Truc. 805: *Supposivit . . . Pro filiolo.* Pl. Bacch. 511: *quod pro certo sciam*, Ter. Ad. 478, Acc. trag. 624; Ter. Eun. 375: *facile ut pro eunucho probes*; Pl. Rud. 974: *omnes vendo pro meis venalibus.*[2])

---

[1]) cf. p. 22.

[2]) Plurima exempla cum verbo habendi coniuncta inveniuntur. Pl. Bacch. 45, Merc. 655, 744, Mil. 710, Most. 386, Pers. 169, 341, 637, Rud. 296, 692, 972, Truc. 71, 495, 556, Caec. com. 249, Cat. orat. XII, orig. III 6, Claud. Quadrig. 37, Ter. Andr. 146, 273, Haut. 98.

b. ad ablativum: Pl. Capt. 369: *pro rota me uti licet*, Auct. ad Her. II 39, IV 45; Ter. Andr. 14: *Quae . . . Fatetur transtulisse atque usum pro suis.*

3. *pro* spectat ad nomen ex obiecto in subiectum commutatum:

Pl. Cas. 1018: *pro scorto supponetur ircus*; Ter. Hec. 576: *sciat alienum puerum tolli pro suo*; Auct. ad Her. II 39: *id pro certo sumitur.*

§ 13. Ex hac vi evasit usus, quem demonstravimus initio huius capitis; res enim, quae sic pro aliqua re est, ut ei ipsi sit simillima, quasi altera res ipsa esse videtur. [1])

1. *pro* spectat ad subiectum:

Ter. Ad. 951: *pro patre huic est*; Pl. Asin. 289: *pro monstro extemplost*; Asin. 525: *dicta docta pro datis*; Men. 298: *Pro sano loqueris*, Men. 927; Truc. 175: *pro ignoto alienoque astas*; Syr. sent. 104: *comes facundus in via pro vehiculo est*; Cat. orat. LXVIII 1: *mulieri iudex pro censore est*; Pl. Capt. 436, Cas. 20, Poen. 312, Stich. 571, Ter. Haut. 952, Hec. 5.

2. *pro* spectat ad obiectum vel nomen ex obiecto in subiectum commutatum:

Pl. Cas. 310: *torreto me pro pane rubido*; Mil. 901: *pro nota nominat me*; Trin. 1051: *fit pro proprio perditum*; Ter. Ad. 48: *ego hanc . . . amavi pro meo*; Pl. Amph. 21: *pro imperio vobis quod dictum foret, Scibat facturos*; Capt. 542: *Proque ignoto me aspernari*; Cat. orat. LXXI: *signa domi pro supellectile statuere*; Pl. Poen. 528: *nos populus pro cerritis insectabit lapidibus*; Pl. fab. inc. XLVIII: *Pro larvato te circumferam* (Pl. Amph. 776); Cat. d. agr. 7,2: *ad fabrum ferrarium pro passis eae recte servantur.* [2])

§ 14. Omnibus locis supra tractatis aliquid cum altera re comparatur; qua comparandi ratione efficitur, ut *pro* eundem sensum habeat atque *quasi*, quae vis primo toti elocutioni inerat,

---

[1]) Hoc loco habendum est *profecto*; cf. Steinitz, De affirmandi particulis Latinis. I. Profecto. Diss. Vratislav. 1885 p. 4: *Sine dubio „profecto" particula originem repetit a „pro facto", quo certo iudicio quid non tam in opinione versari vel cogitatione, sed re vera esse significetur*; de vi cf. C. F. W. Müller ad Laelium p. 14.

[2]) Prior vis etiam perspicua est his in exemplis: Pl. Merc. 725: *urges quasi pro noxio*; Truc. 414: *te interim Quasi pro puerpera hic procuras*; 867: *quasi pro derelicta sis habiturus.*

postea autem in *pro* particulam solam illata est. Quo factum est, ut *pro* eis quoque locis adhibitum sit, ubi vis adaequandi non exstat, neque igitur idem sit atque *quasi*, *tamquam*, sed idem atque nostra in lingua „als".

1. *pro* spectat ad subiectum:

Cat. orat. VI 1: *devertebantur pro hospitibus ad amicos suos*; LVII 2: *Ibi pro scorto fuit.*

2. *pro* spectat ad obiectum:

Pl. Poen. 596: *quid dicamus mox pro testimonio*; 1283: *me reliquit pro atriensi in aedibus*; Rud. 535: *ad ludos me pro manduco locem*; Stich. 560: *accipere pro tibicina*; Ter. Eun. 960: *pro moecho . . . vidit . . . prehendi quemquam*, 992; Haut. 836: (sc. Minas) *pro alimentis esse . . . datas*; Auct. ad Her. II 41: *pro angumento sumere*; Cil. I 542: *pro usura hoc dare.*

VII. De usu apud emendi verba.

§ 15. Altera vis, quae ex significatione *loco alicuius* evasit, invenitur in verbis emendi; nam in emendo pretium, quod *pro* aliqua re datur, quasi *loco* rei datur. Exemplorum ex copia afferam haec:

pro coniungitur cum pretio: Pl. Rud. 1410: *Pro illo dimidio ego Gripum emittam manu*; Cat. orat. XLVII: *praedia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti*; Stich. 774: *saltatum satis pro vinost.*

pro coniungitur cum merce: Pl. Asin. 432: *pro vectura olivi Resolvit*; Capt. 381: *ut viginti minas Dem pro te*; Poen. 371: *ninnium pro te dabit*; 1285: *Pro maiore parte prandei pignus cepi*; Rud. 555: *arrabonem pro Palaestra acceperam*; Cil. I 199 25: *Pro eo agro vectigal Langenses . . . dent . . . nummos CCCC*; Pl. Mil. 728, 729, Stich. 768, Cil. I 200,28.

§ 16. Hoc ex usu *pro* translatum est ad eum usum, qui exstat in verbis praemia dandi vel puniendi.

Pl. Mil. 670: *Huic pro meritis ut referri pariter possit gratia*; Ter. Hec. 849: *pro hoc nuntio quid donem?*; Naev. trag. 9: *praesens pretium pro factis ferat*; Cat. orig. IV 7: *parva laus pro factis relicta*; Auct. ad Her. IV 44: *Hoc vobis deos . . . arbitror dedisse virtute <pro>*[1]) *vestra*; Pl. Amph. 181,

[1]) *virtute pro* bd, *pietate pro* l, *virtute* M.

Asin. 437, Capt. 940, Ep. 718, Merc. 105, Poen. 133, Trin. 1035, Ter. Haut. 763, Hec. 390, Eun. 1023, Luc. 834, Acc. trag. 282, Enn. var. 20, Cat. d. agr. 5.2, Cil. I 542,7, Cil. I 577, $3_{,1}$, Cil. I 1064, Auct. ad Her. I 24, I 27. Pl. Aul. 456: *pro vapulando . . . abs te mercedem petam*; Ter. Eun. 941: *te pro istis factis et dictis . . . Ulciscar*; Cat. orat. X 1: *supplicium pro factis dare oportet*; Pl. Asin. 483, Curc. 195, Men. 496, Most. 1171, Trin. 26, 1186, Truc. 230, Ter. Andr. 431, 888, 903, Phor. 336, Enn. trag. 195, Cat. d. agr. 5,1, Luc. 279, Liv. trag 1, Claud. Quadrig. 41. Pl. Pers. 194: *ut pro ea fide habeant iudicem*; Poen. 1351: *Duplum pro furto*[1]) *mi opus est*; Ter. Eun. 445: *Par pro pari referto*; Enn. trag. 11: *Pro mala vita famam extolles, pro bona partam gloriam.*

VIII. *pro* idem fere significat atque *secundum.*

In emendi verbis *pro,* ut supra dictum est, saepissime apud eam rem positum est, cuius loco pretium datur; pretium autem semper in ratione quadam est ad rem, quae emitur; statuitur enim pretium secundum rem, pro qua datur. Inde facile fieri potuit, ut *pro* similem vim acciperet atque *secundum.*

§ 17. Quomodo haec vis ex illa evaserit, ex multis exemplis facile intellegi potest; putaverim enim hanc vim primo exstitisse in eis modo elocutionibus, in quibus iudicatur, utrum satis sit pretium an non; nam ei, qui de pretio iudicat, relatio, quae inter mercem et pretium exstat, praeter ceteros perspicua fit. Ter. Haut. 940: *Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis.*[2])

Pl. Asin. 497: *scibam huic te capitulo hodie Facturum satis pro iniuria*; Bacch. 131: *satis ut commode Pro dignitate opsoni haec concuret cocus*; Men. 945: *Satin haec pro sano male dicta male dictis respondeo?*; Poen. 285: *pro erili et nostro quaestu satis bene ornatae sumus*; Stich. 690: *Pro opibus nostris satis commodule nucibus*; Ter. Phor. 196: *Satis pro imperio*; 337: *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia* (338); Acc. trag. 248: *neque sat fingi neque dici potest Pro magnitate*; Pl. Amph. 289: *pro huius verbis recte et sapi-*

---

[1]) sic B., *pro ferto* alii libri.

[2]) cf. p. 26: *saltatum satis pro vinost* (Stich. 774).

enter facit; Mil. 1416: *bene agitur pro noxia*: Ter. Hec. 209: *an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?*

§ 18. Ex huius generis exemplis transfertur illa vis in eas dictiones, ubi non iam de pretio vel facto iudicando agitur.

Pl. Asin. 172: *opera pro pecunia*: Ter. Ad. 427: *quae possum pro mea sapientia*: Enn. trag. 132: *ut pro viribus Tacere ac fabulari tute noveris*: Cat. d. agr. 127,2: *dato ieiuno et puero pro aetate triobolum et vini heminam*: Cat. orat. XL 7: *pro scapulis atque aerario multum rei publicae profui*: Claud. Quadrig. 79: *Si pro tua bonitate et nostra voluntate tibi valitudo subpetit*: Auct. ad Her. III 3: *Iustitia est aequitas ius uni cuique retribuens pro dignitate cuiusque*: Pl. Amph. 285. Asin. 560. Aul. 541, Pseud. 849. Stich. 695, Ter. Ad. 809, Andr. 675, Cat. d. agr. 137,1. Pac. trag. 41, 338. Cat. d. agr. 4,1: *villam urbanam pro copia aedificato*; Pl. Merc. 506, Truc. 148. Cat. d. agr. 143,2. Cat. d. agr. 77,1: *quantam* (sc. spiram) *voles pro ratione*: Cat. d. agr. 1,5: 95: 106,2. Auct. ad Her. II 37: Pl. Rud. 1115: *tu pro portione nec vir nec mulier mihi's*; Cil. I 199,29, Cat. d. agr. 57: 157,7. Pl. Amph. 231: *Pro se quisque . . . edit* sc. pro copia et valitudine sua; Poen. 45, Ter. Haut. 126, Acc. trag. 445.

§ 19. Nonnullis locis huic usui quasi vis causae immixta est. Velut *aliquem facere aliquid pro iure suo* significavit primo nihil aliud nisi aliquem facere tantum, quantum facere ei liceat; is autem, qui in agendo praecipue id spectat, ut facta sua cum iure, quod sibi sit attributum, consentiant, tantummodo iure suo, ut agat, commoveri videtur. Quo fit, ut *pro*, sicut *secundum*, transferatur in eandem vim, quae exstat in nostra particula „auf Grund“.

Pl. Capt. 244: *pro iure imperitabam meo*. Cas. 371. Rud. 1392. Ter. Ad. 52. Auct. ad Her. II 39. IV 48. IV 50: Pl. Capt. 907: *ut pro praefectura mea ius dicam*: Cist. 377: *impetres pro copia pro recula*: Poen. 44: *quae imperata sunt pro imperio histrico*; Trin. 303: *Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum, pro imperio tuo Meum animum tibi servitutem servire aequom censui*; Ter. Hec. 310: *Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt*; Naev. com. 88: *Qua pro confidentia ausus verbum cum eo fuerim Facere*: Auct. ad Her. IV 64: *iste pro notitia domnaedi iam introit cum hospitibus.*

IX. *pro* idem fere significat atque *commodo*, *praesidio*.

Veniamus nunc ad alteram dicendi rationem ex propria vi ipsa exortam, quae significat aliquem facere aliquid commodo alicuius. In quo usu explicando fortasse plurimum valebat ea dictio, quae etsi in scriptis nobis traditis rarissime invenitur, tamen sine dubio apud populum patriae amantem et bellicosum, ut Romani, saepissime fuit in ore:[1]) *pro patria pugnare*, quo in exemplo *pro* antiquissimis temporibus, quibus Roma ipsa pro patria haberi poterat, nihil aliud significavisse putaverim nisi *extra muros patriae* (i. e. urbis) *pugnare*. Cum is, qui *pro urbe* (i. e. extra muros urbis suae[2])) pugnat, praesidio vel commodo urbis pugnet, facile *pro* hanc in sententiam commutari potuit.

§ 20. *pro* absolute adhibetur:

1. de personis vel personarum societate:

a. cum verbis faciendi: pugnare: Corn. Sull. 3: *pro vobis potius quam contra vos pugnemus* (Auct. ad Her. IV 13); Luc. 655: *depugnabunt pro te*; Auct. ad Her. I 5: *videtur obpugnari debere ut pro viro forti contra parricidam*; cum verbis periculum vel mortem obeundi: Enn. trag. 384: *pro vostra vita morti occumbant*: Auct. ad Her. IV 57 (et alia), Enn. ann. 209; operam dare: Cat. orat. I 27: *pro re publica nitentur*, Pl. Capt. 437; Ter. Phor. 475; facere: Cat. orat. II: *quae ego pro re publica fecissem*, Ter. Phor. 1002; Cat. orat. XII: *pro re publica, non pro sua obsonat.*

b. cum verbis dicendi: Rud. 1113: *pro se fabulari non queant*, Pl. Amph. 837, Men. 586, Ter. Haut. 30, Auct. ad Her. I 24; Pl. Bacch. 420: *pro tam corrupto dicis causam filio*, Men. 590, Most. 244, Ter. Phor. 836; Pl. Asin. 783: *pro illa ores ut sit propitius*; Cat. orat. XLI 1: *pro cliente testatur.*

c. cum aliis verbis: Pl. Capt. 433:[3]) *vitam hic pro te positam pignori*; Cat. d. agr. 144,1:[3]) *pro eo nemo solvet neque debebitur* (144,2)[3]); Pl. Trin. 428.

---

[1]) cf. § 11 p. 22 et Weise, Charakteristik der lat. Sprache, 2. Aufl., Lpzg. 1899 p. 11 sq.

[2]) *suae* particulae *pro* inest, quoniam significat esse ante urbem eum, qui ex urbe ipsa exiit.

[3]) His in exemplis usus, qui hoc loco tractatur, quasi confluit cum verborum emendi usu.

2. de animalibus et rebus:

Cat. d. agr. 131: *dapem prò bubus facito* (Cat. d. agr. CXL); Cat. d. agr. 83,1: *Votum pro bubus* (Cat. d. agr. XCII); Auct. ad Her. III 5: *nullius pro rei veritate metuere inimicitias*; Luc. 694: *quid pro commodo et regno audeat.*

Nonnullis in exemplis vis *commodo alicuius* non iam recognosci potest. Velut *daps pro bubus facta* significat non tam *daps commodo boum facta,* quam *daps, quae ad boves pertinet*; Cat. d. agr. 22,3: *cupam ornatam HS LXXII, pro oleo HS* XXV; Pl. Poen. 1244: *pro hoc mihi patronus sim necessest.*

§ 21. *pro* cum verbis coniungitur:

propugnare. — Claud. Quadrig. 12: *tribunus . . . et sua virtute nixus et opera alitis propugnatus ducem . . . cicit*; Pl. Bacch. 710: *propugnacula.*

prodesse. — Pl. Capt. 773: *prodesse amico possum*; Ter. Hec. 876: *Quantum hodie profueris mihi*; Caec. com. 210: *Serit arbores, quae alteri saeclo prosint*; Enn. trag. 240: *Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit*; Cat. orat. XX 1: *Pecunia mea rei publicae profui*; et alia exempla.

procurare.[1]) — Pl. Stich. 94: *Bene procuras mihi*; Titin. com. 52: *ut res suas sibi*[2]) *procuret.*[3])

promerere. — Pl. Amph. 1142: *haud promeruit quam ob rem vitio verteres*; Auct. ad Her. IV 52: *Quid nunc ego de meis promeritis praedicem?*; Pl. Amph. 570, Asin. 128, Capt. 933, Ep. 442, Men. 984, 1067, 1100, Pers. 279, 496, Trin. 641, 1173, Ter. Ad. 201, 681, Andr. 331,[4]) Phor. 516, Pac. trag. 79, 153, 377, Afran. com. 357.

X. De usu, qui exstat in vocabulis cognationis.

§ 22. Ex indogermanica lingua sumptus esse videtur usus, qui exstat in *proavus,* quo in vocabulo *pro* significat aliquid

[1]) cf. Pl. Pseud. 232: *pro me et pro te curabo*; Ter. Hec. 227: *Non te pro his curasse rebus.*

[2]) *reo suas* libri; *res suas sibi* C. F. W. Müller.

[3]) Ceteris locis Dativus non invenitur: Pl. Most. 942: *res alienas procures*; Cat. d. agr. 43,2: *eodem modo ceteras arbores procurato*; Cil. I 200,51: *rei procurandae causa erit*; Pl. Curc. 519, 525, Men. 967, Poen. 29, 715, Pseud. 608, Stich. 200, Truc. 414, 878.

[4]) *promereat* libri, *mereat* Bentley ex Donato.

prius fuisse quam aliam rem, quem sensum habet Graecum πρό,[1]) non habet ceteris locis Latinum *pro.*[2])

proavus. — Pl. Mil. 373: *Ibi mei sunt maiores siti pater, avos, proavos, abavos*; Pers. 57, Trin. 967, Enn. trag. 279.

Similiter **propater* exstare videtur in *proprius*, quod idem esse atque **pro-patrius* W. Schulze[3]) demonstravit. In prisca latinitate invenitur tantummodo metaphorica vis; velut Pl. Most. 225: *illum amatorem tibi proprium futurum in vita.*

XI. De pronuntiatione particulae *pro.*

§ 23. Restat, ut pauca addam de pronuntiatione particulae *pro.* Ex indice, qui sequitur, apparet *pro* particulam aliis in verbis longam vocalem habere, aliis brevem, aliis longam vel brevem. Quomodo haec differentia explicanda sit, nondum liquet, sed ex eis, quae protuli, hoc certum mihi esse videtur, quod nulla significationis differentia inter *prŏ* et *prō* exstat.[4]) *prŏ* invenitur praecipue ante *f*; qua de causa Corssen[5]) existimat pronuntiationis legibus quibusdam effectum esse, ut longa vocalis nonnullis in verbis in brevem mutaretur; sed haec sententia probari non potest; nam primum pronuntiationis leges ipsae ei discrepant; deinde ex Graeca particula πρό apertum fit vocalem *o* in stirpe Indogermanica brevem fuisse et in lingua Latina demum in longam vocalem mutatam esse; longa vocalis ablativo quodam procreata esse videtur, quae opinio confirmatur ea re, quod interdum non *pro*, sed *prod* invenitur, quae forma archaico ablativo propria est.[6])

---

[1]) cf. Delbrück, Die indogermanischen Verwandtschaftsnamen. Abhandl. d. sächs. Ges. d. Wiss. XI p. 476.

[2]) *pronuper* (Pl. Trin. 427b), quo in vocabulo temporalis vis exstare videtur, suspectum est, sicut totus versus, quem seclusit Ritschl.

[3]) Wilhelm Schulze, Zur Geschichte der lateinischen Eigennamen, Berlin 1904 p. 111 Anm. 3.

[4]) M. Leopold (Die Vorsilbe ver und ihre Geschichte p. 16 sq) putat *prŏ* sicut πρό ex stirpe quadam indogermanica, quae „vorwärts, fort“ significat, fluxisse.

[5]) W. Corssen, Aussprache², II p. 482.

[6]) Pott, Etymolog. Forschungen auf dem Gebiete der Indogermanischen Sprachen. 2. Aufl. Lemgo und Detmold 1859 I p. 213 et 541 sq.

§ 24. Iam ad finem quaestionis pervenimus. Quamquam de vi ipsa particulae *pro* nihil dubium esse puto, tamen in singulis compositis explicandis non pauca exstare confiteor, quae obscura et ambigua restant. Velut incertum est, quomodo his in exemplis particula *pro* sit explicanda: *promittere, promiscuus, prolubium, prope, propitius, proportare, propudium, prosper, prosumia, protelum proterve, provincia,* quae vocabula, quoniam de illis nihil certi prolatum est neque ipse proferre possum, plane praetermisi; cetera vocabula praeter graeca et a vocabulis tractatis derivata protuli omnia.

De *prae* particulae in prisca latinitate vi atque usu.

§ 1. *Prae* particulae praecipue duae significationes insunt; significat enim *prae* aut anticam partem rei ipsius (nostra in lingua: „vorn“) aut aliquid plane extra aliquam rem sic situm, ut continuatione [1]) quadam non conspicua cum re, ante quam est, coniunctum sit (nostra in lingua: „vor“, cui particulae ille continuationis sensus non inest). Haec duplex vis latinae vel potius italicis [2]) linguis, non indogermanicis propria est; nam linguae indogermanicae, quamquam in eis particulae ab eadem stirpe derivatae exstant, tamen, quae huic usui similia sunt, non praebent. Verisimile igitur est utramque significationem inde a principio particulae *prae* simul non infuisse, sed aut alteram ex altera aut ambas ex communi origine emanavisse. Si altera vis ex altera fluxisse putatur, certum est eam vim non priorem existimari posse, quae continuatione quadam non conspicua res coniungit — velut *aliquid prae se portare*; neque enim quisquam negaverit continuationem non conspicuam per se ipsam in *prae* vigere non potuisse, sed ex usu emanavisse, in quo illa continuatio quasi aliquid concretum oculis etiam conspici potuit. Restat, ut quaeratur, utrum illa altera vis, quae extremam partem rei ipsius

[1]) O. Kuebler, *De differentia inter particulas „ante“ et „prae“ intercedente.* Diss. Vratislav. 1850 p. 10. — Handii Tursellinus IV p. 522.

[2]) cf. Lindsay-Nohl, d. lat. Spr. Lpzg. 1897 p. 677 et v. Planta, Grammatik der oskisch-umbrischen Dialekte II p. 451: „Osk. *prai* umbr. *pre* l. *prae* (lit. *prẽ*) meist mit gr. παραί als Dat. der kons. Dekl. aufgefasst, nach anderen Lok. von *prā*. Wie im Lat. mit Abl.: osk. *prai Mamerttiais* 131, 132 (temporal), umbr. *pre verir*, *preveres* ‚ante portam‘“.

significat, propria et vera vis existimanda sit necne. Quamquam hac in vi continuatio plane conspicua exstat — nam antica pars alicuius rei continuat cum ceteris partibus — tamen alteram vim ex ea exortam esse non putaverim; neque enim potest intellegi, quomodo fieri potuerit, ut ex vi, quae partem rei ipsius significat, altera vis emanaverit, qua alicui rei altera res plane aliena et extra illam sita opponatur; velut intellegi non potest, quomodo fieri potuerit, ut in *manum praecidere* significet *prae* partem manus ipsius, in *prae manu* autem exprimat aliquid ante, i. e. extra manum situm esse. Qua re commotus existimaverim ambas elocutiones ex communi vi fluxisse, in qua tamquam coniunctae una ambae vigebant. Ambarum elocutionum confinium quoddam, in quo si quid est, vel pars rei vel res aliena haberi potest, iudicandus est rei cuiusvis circuitus.[1]) Nam id, quod ante aliquam rem situm eam extrinsecus tangit, non minus in circuitu rei est quam extremae partes rei ipsius, quae circuitum, ut ita dicam, intrinsecus tangunt. Qua re verisimile esse videtur *prae* particulam a principio nihil aliud significavisse nisi quod res quaedam est sita prope alteram rem idque tam prope, ut alterius rei circuitus tangatur: *prae* igitur primo respexisse putaverim non modo anticam partem, sed quamvis partem circuitus et significavisse „am Rande befindlich".[2])

§ 2. At forsitan quispiam putaverit fieri non potuisse, ut hac ex significatione vis exorta sit, quae idem significat atque *ante*; nam si *prae* ad quamvis partem totius circuitus spectaret, non modo idem significaret atque *ante*, sed etiam idem atque *post*, quae vis nullo loco invenitur. Sed *prae* nequaquam idem est atque *ante*; usui enim, qui exstat in nostra particula „vor",

[1]) cf. Ebel K. Z. VI p. 204, qui censet *prae* particulam significare: „Bewegung nach vorn oder oben längs der Fläche des Gegenstandes". Recte igitur iam Ebel propriam vim intellexit, sed qua de causa ea potissimum vis necessaria sit et quo modo ex ea ceterae significationes exortae sint, argumentis non demonstrat.

[2]) *pr-ae*, sicut *per* et *por*, exortum est ex *pr̥*, cf. Stolz A. f. L. II p. 497 sq; *pr̥* idem est atque radix *per*, quae „durchdringen" significat (cf. Vaniček Etym. Wörterbuch² 155); *per* particula significat in transgrediendo esse: *prae* (= *par-ai*) primo significavisse putaverim aliquid per rem transgressum constitisse i. e. „durch eine Sache hindurchgegangen und dann in Ruhe befindlich" i. e. „am Rande befindlich"; cf. p. 35 not. 2.

duae dicendi rationes insunt; altera exoritur ex usu eorum, qui extra aliquam rem sunt, altera ex eorum, qui intra rem sunt. Nam iis, qui extra rem versantur, omnia, quae sunt prope partem rei ad illos adversam, ante rem esse videntur, omnia, quae sunt prope partem ab illis aversam, post rem. Iis autem, qui intra rem sunt, nihil esse potest post rem, sed omnia, quae extra rem sita sunt, eis ante[1]) rem esse videntur.[2]) Ex accusativo, quocum *ante* coniungitur, apparet particulam *ante* primo significavisse idem atque in nostra lingua „vor, in der Richtung auf etwas hin“;[3]) atqui id, quod *ante* i. e. adversum rem movetur, extra rem positum esse necesse est; si id, quod movetur, extra rem est, item is, qui movet, extra rem versari existimandus est; is autem, qui movet, iudicat de situ rerum; ergo haec particula continet illam vim, quae ex usu eorum evasit, qui de situ duarum rerum iudicant ex loco, qui situs est extra rem, quacum particula coniuncta est. *Prae* autem respicit semper, ut videbimus, rem vel personam ipsam, cui appositum est, vel, ut aliis verbis utar, *prae* adhibetur in sententiam eius rei vel personae, quacum ipsum coniungitur. Iudicatur igitur situs duarum rerum ex loco eius rei, ante quam altera posita est, et ii, qui iudicant, sunt vel persona ipsa vel, si res exstat, personae, quae intra rem versantur. Quae cum ita sint, exstat sine dubio in *prae* illa altera vis, quae simillima est usui particulae *extra*. Sed *prae* a particula *extra* diversum est sic, ut significet non tam *aliquid esse non intra rem*, quae vis exstat in *extra*, quam: *quod extra rem est, idem esse prope rem situm* id quod iis, qui intra rem sunt, idem esse videtur atque *ante*

[1]) Quia deest particula, quae plane eadem est atque *prae*, particulam *ante* adhibere coactus sum, cui duplex vis nostrae particulae „vor“ non inest.

[2]) Velut iis, qui in urbe versantur vel in silva, omnia, quae extra urbem vel silvam sita sunt, ante urbem vel silvam sita esse videntur. Nostram particulam „vor“ anticam partem significare non necesse esse apparet ex lingua Gotica, in qua *faur* vel *faura* idem esse potest atque Graecum παρά, velut Lc. 18,35: *blinda sums sat faur wig*: τυφλός τις ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδόν; cf. M. Leopold, Die Vorsilbe ver und ihre Geschichte, Breslau 1907 p. 6 sq., quo loco Leopold *faur wig* interpretatur „am Rande, längs des Weges“.

[3]) Kuebler, p. 4; id. p. 6: *particulam „ante“ usurpari in locutionibus, quas dixi, videmus tum, quum quid tamquam extrinsecus ad rem aliquam admotum eique rei ex adverso positum esse significandum est.*

rem tum quoque, cum ea, quae extra rem sunt, non prope anticam partem posita sunt.[1])

Hac ex vi intellegi potest usus, qui exstat in particula *praeter*.[2]) — Significat enim vel *aliquid esse extra rem* vel *aliquid prope, sed extra rem cursum tenere* id quod nostra in lingua redditur particulis „an-vorbei“.[3]) a. aliquid est extra rem situm: velut Pl. Amph. 613: *servom tuom Praeter me alterum*; Ter. Haut. 234: *Cui nihil iam praeter pretium dulcest*; Claud. Quadrig. 10 b: *nudus praeter scutum et gladios*. b. aliquid est prope et extra rem: velut Ter. Phor. 768: *Ita fugias, ne praeter casam, quod aiunt.* Is, qui praeter casam fugit, appropinquat casae neque in eam intrat, sed porro fugit; neque quicquam interest, utrum praeter anticam partem casae fugiat necne. In vi particulae *praeter* interpretanda praecipue illud spectandum est, quod aliquis, quamquam prope ad rem venit, tamen non intra rem it, sed extra rem porro progreditur.

I. De locali vi, quae spectat ad partem rei.

Quibus praemissis nobis quaerendum est, qua ratione fieri potuerit, ut id, quod in circuitu rei est, modo res aliena, modo pars rei ipsius sit. Putaverim id, quod in circuitu est, primo non partem rei, sed rem alienam fuisse; nam primum, quod circuitum rei tangit, idem est extra rem, deinde vis, quae ad alienam rem spectat, multo saepius invenitur, unde fortasse conici potest propriam vim hoc in usu plus vigere quam in altero. Ergo si *prae* primo ad partem ipsius rei non spectabat, certis quibusdam condicionibus demum sine dubio effectum est, ut *prae*

---

[1]) Eadem dicendi ratio exstat in *pro*; nam velut in elocutione *ex urbe producere* (Ter. Ad. 402) non illud magni momenti est, quod is, qui producitur ante anticam partem est, sed potius illud, quod is, qui producitur, extra circuitum urbis, ergo ante quamvis partem circuitus est; qua ex re intellegi potest, cur particula *pro-pe* non in vim translata sit, quae respicit anticam partem, sed potius in vim, quae spectat ad quamvis partem circuitus, sicut nostra particula „neben“.

[2]) cf. Graecum παρά: Naev. trag. 47: *praeter amnem* (παρὰ ποταμόν); Auct. ad Her. I 19: *omnes praeter unum* (παρὰ πέντε ναῦς „ausgen. 5 Sch.“ Thuk. 8,29); Pl. Rud. 400: *praeter spem* (παρ᾽ ἐλπίδα); *praeterire* (παριέναι).

[3]) quae particulae plane congruunt cum vi, quae praepositioni *praeter* inest: nam particulis „an-bei“ dicitur aliquid prope rem esse, particula autem „vor“: aliquid extra rem esse.

hunc in sensum transiret. Invenimus enim *prae* hunc sensum habere praecipue eis in exemplis, in quibus *prae* coniunctum est cum verbis transitivis, quorum actio pertinet ad rem, cuius extremam partem particula *prae* significat. Verborum enim actio pertinet ad totam rem; *prae* autem particula verbis apposita indicat actionem non iam spectare ad totam rem, sed modo ad partem, quae apud circuitum est. *Prae* igitur re vera non significat partem rei, sed tantummodo eo consilio verbis adiunctum est, ut verborum actio ad partem quandam in circuitu sitam coerceatur; partes autem, quae in circuitu sunt, extremae totius rei putantur; quo factum est, ut *prae* acciperet vim, quae extremas totius rei partes significat. Neque tamen in omnibus rebus omnes partes in circuitu sitae extremae putari possunt; velut in rebus, quae in longitudinem pertinent, extremae haberi possunt eae tantummodo partes, quae in utroque fine rei sunt, in eis rebus autem, quae, quoniam ab altero fine cum alia re continuant, quasi unum finem habere videntur, extremae existimari possunt huius unius tantummodo finis partes. Hoc in numero habenda sunt velut: manus, quae continuat cum corpore (Pl. Capt. 668)[1]; lingua, quae continuat cum ore (Pl. Aul. 189)[1]; arbores, quae continuant cum humo (Cat. d. agr. 28,2)[1].

Atqui in eis rebus, quae ab altero fine cum alia re continuant, partes ab altero fine sitae non modo extremae sunt, sed etiam praecellentes et quasi cacumen ceteras superantes. Quo factum est, ut *prae* in vim transferretur, quae significat aliquid superare quasi cacumen ceteras partes eiusdem rei.

§ 3. *prae* significat extremam quandam partem rei.

Saepius significat *prae* hoc in usu anticam partem, sed tantummodo propterea, quod, quae antica pars est, eadem extrema quoque pars est.

praecingere. — Pl. Bacch. 432: *Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres*, Mil. 1182; Enn. ann. 433: *Nox . . . mediis signis praecincta*; 488: *Brundisium pulcro praecinctum praepete portu.*

praefringere. — Pl. Mil. 26: *praefregisti bracchium*; Cat. d. agr. 33,4: *vineas novellas alligato crebro, ne caules praefringantur*; Ter. Ad. 37, Luc. 1283.

---

[1]) cf. *praecidere*, p. 38.

praeacuere. — Cat. d. agr. 40,2: *eum* (sc. surculum) *praeacuito*; 40,3 (ter), 41,2 (bis).

praecidere. — Pl. Capt. 668: *tu has quidem* (sc. manus) *vel praecidi iube*; Aul. 189: *linguam praecidam* (Mil. 1271); Acc. trag. 506: *praecisum iugum*; Naev. com. 65: *praecisum omasum*; Caec. com. 56: *collum ludo praecidi iube*; Claud. Quadrig. 10b: *caput praecidit*; Cat. d. agr. 28,2: *eas* (sc. arbores) *praecisas serito*, Cat. d. agr. 32,2, 33,2, 37,4, 40,2 (bis), 41,2, 52,1, 52,2, 133,3, 133,4, 160, 162; Luc. 281: *praecidit caulem*; 1114: *funis . . . praecisus*, 569; Auct. ad Her. IV 67: *Per abscisionem* (sc. significatio fit) *si, cum incipimus aliquid dicere,* *<deinde> praecidamus.*

praefulcire. — Pl. Pers. 12: *quin me suis negotiis praefulciat*; Pseud. 772: *Parvis magnisque miseriis praefulcior.*

**praesecare.* — Pl. Aul. 313: *omnia abstulit praesegmina.*

praetruncare. — Pl. Capt. 902: *collos praetruncabo tegoribus*; 915: *praetruncavit tribus tegoribus glandia*: Mil. 318: *praetruncari linguam largiloquam iubes.*

praestruere. — Pall. com. inc. inc. 21: *vix pedem Pedi praestruit.*

praestringo. — Cat. d. agr. 32,2: *ne nimium* (sc. vitem) *praestringas*; Pl. Truc. 492: *lingua gladiorum aciem praestringit*; Mil. 4: *Praestringat oculorum aciem*, Luc. 1094.[1]

praevellere. — Lab. com. 146: *Aliqua parte . . . praevulserat.*[2])

praeterere. — Pl. Men. 85: *compediti anum lima praeterunt.*

praerodere. — Pl. Pseud. 884: *digitos praerodat*; 887: *praerodatis . . . manus.*

praemordere. — Pl. Trigeminis: *praemorsisset* (sc. manum[3]).

praepedire. — Pl. Poen. 828: *in pistrino marcelim Agere aetatem praepeditus latere forti ferr<e>o.*[4])

[1]) Metaphorice: Auct. ad Her. IV 63: *auri splendore aspectus omnium praestringere*; Caec. com. 209.

[2]) *peculserat* corr. *peulserat* Monac. Diomedis, *praeculserat* ceteri. *evulserat* Buecheler.

[3]) Ita Leo.

[4]) Ligandi vis fortasse sic intellegi potest: *impedire* similem vim habet atque *implicare*, *expedire* similem atque *explicare*: qua re fortasse effectum est, ut **plicandi* vis in **pedire* translata sit. Metaphorice: Pl. Cas. 704: *Timor praepedit verba*; Ter. Haut. 506; Pl. Cas. 653.

praeligare. — Pl. Bacch. 136: *O praeligatum pectus.*

praeesse. — Titin. com. 146: *ergo occupa Foras exire, foris ut praesit linteum.*

praeferratus. — Pl. Pers. 22: *Fui praeferratus apud molas tribunus vapularis*; Cat. d. agr. 11,3: *modium praeferratum.*

praesepes vel *praesaepes.* — i. e. locus ab antica parte saeptus (fortasse ex **praesaepire* derivatum). Pl. Cas. 57, Curc. 228, Rud. 1038, fab. inc. XL, Cat. d. agr. 4,1, 14,1, Enn. ann. 514.

praetexta.[1]) — Acc. trag. 518: *eius serpentis squamae squalido auro et purpura Praetextae*; Luc. 12, Cil. I 197,5.

praeclavium. — Afran. com. 180: *pro(p)ter purpuram; Praeclavium contextumst*[2]); 229: *tertium diem praeclavium unum texere.*

Porro pendet in vocabulo composito pars secunda a *prae* particula eo, quem dixi, sensu usurpata:

praefurnium. — Cat. d. agr. 38,1: *si uno praefurnio coques*; 38,2 (bis), 38,4.

praenomen. — Cil. I 206 146, Auct. ad Her. III 31.

Denique compositum possessivum *prae* particulae ope formatum exstat:

praeceps. — Pl. Commorientes: *Saliam in puteum praecipes*; Pseud. 494: *Iuberes hunc praecipitem in pistrinum trahi*; et alia exempla.

§ 4. *prae* significat id, quod quasi cacumen ceteras partes superat.

praeesse. — Cil. I 195 9: *copias Carthaginienses praesente(d Hannibaled)*[3]); Pl. Amph. 12: *nuntiis praesim et lucro*; Cil. I 205 2,49: *quei Romae i(ure) d(eicundo) praesset*; et aliis quoque inscriptionum locis.

praeire. — Luc. 1160: *ergo praetorum est ante et prae-ire*[4]) *prae-tor* = *prae-itor*: Sisenn. 65: *praetor festinatim de castellis ad castra maxima pedites conducit*; et alia exempla.

[1]) Particulam *prae* hoc in vocabulo spectare non modo ad anticam partem, sed ad circuitum rei apparet ex Dionys. 4,74, quo loco *praetexta* Graece redditur verbis: λευκὴ ἐσθὴς περιπόρφυρος; cf. Mommsen, Röm. Staatsr. I 410 not. 2.

[2]) Sic Ribbeck, *contextus* libri.

[3]) Hoc exemplum, quoniam exstat in columna rostrata, non certum est.

[4]) Hoc loco *ante* significat, ubi praetor it, *prae* exprimit, qualis it.

praeficere. — Pl. Amph. 100: *praefectust legionibus*; Cass. Hem. 11: *Pastorum vulgus . . . praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum*; Pl. Amph. 211, 363, Cas. 105, Pseud. 158, Stich. 683, Ter. Eun. 413, 541, Pac. trag. 322.[1])

praesidere. — Exstant duae significationes inter se plane diversae, quarum altera, quam priore loco tractabo, sub § 3 numeranda est. Ii enim, qui oppido cuidam **prae-sedent* i. e. ab extremis partibus apud muros sitis sedent, defendunt oppidum; velut milites, qui ab extrema parte oppidi sedent, oppidanos protegunt et eis auxilium ferunt; qua de causa *praesidium*, quod primo milites significabat, qui oppidum aut castra protegendi causa occupant (Pl. Pers. 754, Luc. 220, Sisenn. 97, Cat. orat. I 14, I 21, Auct. ad Her. IV 68) in eundem sensum transibat atque *auxilium*. Velut. Pl. Mil. 222: *nostris praesidium para*; Cil. I 1422: *parentibus praesidium, amiceis gaudium.* Altera vis significat eum, qui ab antica parte societatis cuiusdam (velut contionis) sedet eo consilio, ut eam regat. Pl. Most. 1096: *Hic ego tibi praesidebo, ne interbitat quaestio*; Truc. 715: *tricis praesidebo.*

praesertim. — Significat aliquid esse sertum ab antica parte rei sic, ut ex ceteris partibus efferatur. Effertur enim vocabulo *praesertim* vel persona, quae, quoniam ei cum aliis personis aliquid commune est, una cum eis quasi totum quoddam esse videtur, cuius antica pars, quae ceteras superat, ipsa est, vel argumentum, quod cetera argumenta, quae, quoniam idem confirmant, cum eo quasi ex una re constant, sic superat, ut plus valeat quam cetera. 1. persona: Pl. Poen. 820: *Servire amanti miseriast, praesertim qui quod amat caret*; Rud. 291: *qui pauperes sunt homines miseri vivont, Praesertim quibus nec quaestus est nec didicere artem ullam*; Ter. Ad. 784: *comissatorem haud sane commodum Praesertim Ctesiphoni.* 2. argumentum: Pl. Ep. 170b: *quid est quod pudendum siet Genere natam bono pauperem domum Ducere te uxorem, Praesertim eam qua ex tibi commemores hanc quae domist filiam prognatam?*[2]) — Postea

[1]) libri *praeficiendo*, Ribbeck² *proliciendo.*

[2]) Duabus ex causis illam feminam uxorem ducere senem pudere non oportet, primum quia genere bono nata est, deinde quia mater est eius puellae, quae iam est domi, quod argumentum plus valet quam alterum et propterea particula *praesertim* effertur.

autem non iam necessarium erat particula *praesertim* efferri rem ex rebus eiusdem generis, sed potius vis efferendi sola ei inesse coepit eo modo, ut res efferatur ex numero rerum, quibuscum totum quiddam non efficit. Velut Pl. Pseud. 505: *hinc quidem a me non potest Argentum auferri, qui praesertim senserim*; Ter. Phor. 55: (sc. te) *non neclexisse* (sc. pecuniam) *habeo gratiam.* — *Praesertim ut nunc sunt mores*; et alia exempla.

II. De locali vi, quae pertinet ad aliquid extra rem situm.

Id, quod in circuitu est, non pars rei esse solet, sed res aliena extra rem sita; qua de causa *prae* significat aliquid esse ante circuitum rei situm. Hac quidem in significatione invenimus *prae* particulam maxime ad anticam partem circuitus spectantem, sed eo modo, ut continuatio, quae primo altera re alterius circuitum tangente oculis quoque conspici poterat, tum, cum tangendi vis in *prae* non iam manifesta erat, tamen effecerit, ut *prae* plurimis locis, quos quidem in prisca latinitate inveniamus, non adhibitum sit nisi, ubi continuatio non conspicua saltem mente cognosci possit.

§ 5. *prae* absolute adhibetur:

Pomp. trag. 18[1]: *Tum prae se portant ascendibilem semitam*; Luc. 166: *hi prae se portant ingentes munere pisces*; Acc. trag. 393: *Tanta moles labitur Fremibunda ex alto ingenti sonitu et spiritu. Prae se undas volvit.* His omnibus in exemplis *prae* particulam cum nullo pronomine nisi reflexivo coniunctum invenimus; exprimit igitur *prae* aliquid esse ante eam personam, quae actionem verbi efficit.[1])

Eadem dicendi ratio exstat in *I prae.* — Dignum est quod memoretur, qua de causa in prisca latinitate aut verbi *praeire* solus imperativus inveniatur aut haec elocutio, in qua item imperativus exstat. *Praeire* enim significaret: eum, qui prae-it, ire aut ab antica parte (cf. *praetor* p. 39), aut ante se ipsum, id quod absurdum esset; *prae* igitur adhiberi potuit non in sen-

[1]) Duae rationes reflexivae relationis exstant; velut in verbis *amicus meus praemittit servum* respicere potest *prae* aut personam, quae agit (*amicus meus prae se mittit servum*), aut eam personam, quae loquitur (*amicus meus prae me mittit servum*).

tentiam cuiusvis personae, sed tantummodo in sententiam eorum, qui non ipsi eunt, sed vel dicunt aliquem ante se ipsos ire vel efficiunt, ut ante se ipsos eat.[1]) Pl. Amph. 543, Cist. 773, Curc. 487, Pseud. 170, 241 b, Ter. Ad. 167, Andr. 171, Eun. 499, 908, Phor. 777.

prae manu. — Item primo sine dubio adhibitum est de eo, qui dicit vel agit; ergo *prae mea* vel *sua manu.* Pl. Bacch. 623: *Qui patri reddidi omne aurum amens, Quod fuit prae manu*; Ter. Ad. 980: *atque huic aliquid paulum prae manu Dederis, unde utatur.*

§ 6. *prae* componitur cum verbis:

praebere. — Significat primo non: *aliquem tenere aliquid ante alios*, sed: *ante se sic, ut alius id capere possit.* Primo sine dubio adhibitum est tantummodo de rebus, quae teneri possunt; velut Pl. Ep. 727: *praebebo cibum*; — postea autem de aliis quoque rebus: velut Asin. 205: *Longe aliam* (sc. orationem) *praebes*; et in aliis exemplis.

praemittere. — i. e. *ante se* vel *ante me mittere.* Pl. Amph. 195: *Me a portu praemisit domum*, 602; Cas. 448: *hunc Acheruntem praemittam prius*; Truc. 412: *praemisit nuntium*; Sisenn. 85: *Multi praemissis armis ex summo se permitterent.*

praeire. — Caec. com. 273: *sequere me; praei*[2]) *hercle tu.* Pl. Rud. 1335: *Prae<i> verbis quidvis.*

praecedere. — Publil. Syr. append. sent. 33: *optimum est sequi maiores, recte si praecesserint* sc. prae nobis,[3]) qui sequimur; Cil. I 1011: *Haec, quae me faato praecessit corpore casto coniunx* sc. prae eo, qui haec verba facit.[3])

praegradare. — Pac. trag. 48: *extremum intra camterem ipsum praegradat Parthenopaeum.*

praecurrere. — Hoc in verbo nihil iam interesse videtur, utrum in sententiam eius, qui dicit, adhibeatur an non: qua in re fortasse dicendi lex, quae a nostris „Hypostase" vocatur,

[1]) Velut: *praeis*, *praeit*, *praeitis*, *prae eunt*, *i prae* } sc. prae me vel prae nobis.

[2]) cf. *i prae* p. 41 et not. 1. huius pag.

[3]) cf. p. 41 not. 1.

multum valuit eo modo, ut id, quod primo non nisi de secunda et tertia persona dici potuit, ad primam quoque personam transferretur[1]); Pl. Amph. 796: *ab navi . . . huc alia via Praecucurristi*, Men. 1057, Laber. com. 148; Ter. Hec. 371: *praecucurrit*; Pl. Aul. 678: *ego illuc praecurram*, Stich. 392, Merc. 223.

Eodem loco habendum est *praefestinare*. — Pl. Rud. 119: *praefestinet, ubi erus adsit, praeloqui*; Afran. com. 395: *Praefestinamus, quae sit causa, sciscere.*

praesens. — Quod vocabulum derivatum esse putaverim ex constructione participiali, quae dicitur ablativus absolutus; velut Pl. Asin. 456: *Ero huic praesente reddam.*[2]) Primo *praesente* adhibitum esse putaverim in sententiam eius, qui agens alium ante se habet, velut Pl. Bacch. 301: *Auferimus aurum omne illis praesentibus*; Curc. 434: *te praesente . . . egi*; Ter. Hec. 674: *praesente hoc loquar*. Verisimile est hunc usum ex participiali constructione primum ad ea exempla translatum esse, in quibus item *prae* spectabat ad actionis auctorem. Velut Pl. Most. 617: *praesenti tibi facit convicium*; Ter. Phor. 345: *non tu hunc habeas plane praesentem deum.* Tum demum forsitan translatum sit in alia exempla, velut Pl. Amph. 749: *Mequidem praesente numquam factumst*; Most. 1075: *adsum praesens praesenti tibi.* Ter. Hec. 703: *praesens . . . promoveo parum.*

praesto. — Item adhibetur in sententiam eius, ante quem quid est. Velut Acc. trag. 525: *Lemnia praesto litora*; Pl. Mil. 1216:

---

[1]) cf. *i prae* p. 41 sq.

[2]) Quae opinio confirmatur: 1. Plurimis exemplis, in quibus constructio participialis absoluta exstat: Pl. Amph. 749, Asin. 455, 456, 647, Bacch. 142, 263, 301, 335, 336, 483, Cas. 423, Curc. 32, 434, 711, 712, 714, Most. 564, 1121, 1164, Poen. 368, Rud. 113, Stich. 538, Ter. Eun. 1059, Haut. 1042, Hec. 674, 712, Afran. com. 310, Auct. ad Her. I 23, Cil. I 195. — 2. exemplis, in quibus *praesente* ut aliquid fixum cum pluralibus quoque coniunctum est: nam si *praesens* iam primo participium adiectivum fuisset, adaptatum esset eis quoque nominibus, quae in plurali numero posita sunt: Acc. trag. 428: *praesente his*; Pomp. com. 47: *praesente amicis*; 168: *praesente testibus*; Nov. com. 57: *praesente omnibus*: Auct. ad Her. IV 16: *praesente multis*. — 3. ea re, quod non exstat eiusdem significationis verbum, a quo *praesens* derivari potuit; nam *praeesse* significat: *ab antica parte esse* (cf. p. 39), non, sicut *praesens*, „in Gegenwart jmds." i. e. „vor jmdn. sein"; qua de causa participium, sed non totum verbum hanc vim acceperit, apparet ex eis, quae supra dixi (cf. *i prae* p. 41 sq.).

eccum praesto militem; Ter. Andr. 415: *Ipsum adeo praesto video cum Davo.* Ceterum de etymo nihil constat.

praecordia. — Quod vocabulum sine dubio evasit ex usu haruspicum, quibus exta animalis resupinati ante cor esse videntur. Pl. Merc. 124, Luc. 590, 642, Cat. d. agr. 157,7.

prehendere. — Primo sine dubio dici potuit de eo, qui *hendit id, quod ante se habet et quod ei in praesentia praebetur. Pl. Capt. 118: *Semel fugiendi si datast occasio. . . . numquam postilla possis prendere.* — Is, qui aliquid habet ante se, habet idem ante oculos; propterea *prehendere* adhibetur praecipue tum, cum is, qui prehendendus est, vel forte vel occasione secunda in conspectum eius, qui prehendit, profertur. Velut Pl. Asin. 563: *in furto ubi sis praehensus*; Aul. 749: *si prehensi simus, excusemus ebrios Nos fecisse*; Cat. orat. LXVIII 2: *In adulterio uxorem tuam si prehendisses.* Ex hac demum vi evasisse putaverim significationem, quae a verbo capiendi nihil iam diversa est: Pl. Asin. 668: *Prehende auriculis*; Pomp. com. 170: *prendi manum*: Pl. Most 219: *ut veneficae illi Fauces prehendam*; et alia exempla.

praeripere. — Primo dicebatur sine dubio de eo, qui agit, vel de eo, qui loquitur: Pl. Cas. 96: *Possisne necne clam me sutelis tuis Praeripere Casinam uxorem* sc. quae ante me est: 102: *Huc mihi venisti sponsam praereptum meam.* Tum demum transferebatur in alia exempla: Pl. Asin. 814: *Praeripias scortum amanti*; Men. 1080: *Tuom tibi neque occupare neque praeripere postulo*; Mil. 653: *Neque praeripio pulpamentum neque praeverto*[1]) *poculum*; Trin. 476: *quod illi placeat, praeripiam potissimum*; Ter. Eun. 161: *ne illum talem praeripiat tibi.*

III. De vi comparandi.

§ 7. Si aliqua res prae altera re posita est, fit perspicuum discrimen, quod inter eas extat; qua re efficitur, ut altera vel utraque res cum altera comparetur. Hac ex ratione exorta est comparandi vis. Hoc in usu metaphorico plane deest relatio reflexiva, quam, ubi praepositio *prae* invenitur, alias semper extare vidimus. Qua de causa verisimile est, hoc in usu *prae* particulam non praepositionem, sed adverbium esse,

[1]) Singularis est usus verbi *praevortere*, quod hoc loco sine dubio secundum auctoritatem verbi *praeripere* compositum est.

quod primo participiali quadam constructione cum ablativo continebatur, velut *prae te* = *praeposito te* (Skutsch); postea autem falso quasi praepositio ad ablativum referebatur. Hac ex re intellegi potest, qua de causa hic usus praecipue cum verbis contemnendi coniunctus inveniatur; nam quod praepositum est, idem est melius (cf. § 8).

Pl. Mil. 1140: *non sum dignus prae te, ut figam palum in parietem*; Ep. 522: *me minoris facio prae illo, qui omnium Legum . . . fictor . . . cluet*; Mil. 1170: *prae illius forma quasi spernas tuam*; Most. 245: *Video te nili pendere prae Philolache omnis homines*; Stich. 362: *Immo res omnis relictas habeo prae quod tu velis*; Ter. Ad. 262: *omnia sibi post putarit esse prae meo commodo*;[1] Eun. 239: *illum contempsi prae me*; Hec. 483: *te postputasse omnes res prae parente intellego*; Pl. Mil. 989: *Pithecium haec est prae illa*; Curc. 99: *omnium unguentum odor prae tuo nauteast*; Men. 181: *occaecatust prae huius corporis candoribus*; Acc. trag. 146: *Ut cuncta opima levia prae illis putet.* — Pl. Amph. 528: *Ne me uxorem praevortisse dicant prae re publica.*

Ex comparandi vi exoritur usus, qui extat in *praeut*[2] et *praequam*;[2] velut Pl. Amph. 374: *Parum etiam, praeut futurumst, praedicas*; Pl. Amph. 634: *Satin parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda, praequam quod molestumst?*.[3]

IV. De vi praecellendi.

§ 8. Compluribus in exemplis *prae* exprimit aliquid esse positum ante alteram rem propterea, quod melius est quam altera res. Ut comparandi vis, sine dubio haec quoque vis ex usu locali exorta est.[4] Qua ratione *prae* in hanc sententiam com-

[1]) Hoc ex exemplo optime intellegi potest *prae* particulam non praepositionem esse posse; nam quod prae re est, idem simul non post rem esse potest; cf. etiam Hec. 483.

[2]) cf. Langen, Beitr. zur Krit. u. Erkl. des Plaut. Lpzg. 1880 p. 31 sqq.

[3]) Fortasse usus, qui exstat in *praequam*, ex contaminatione quadam exortus est: velut Pl. Amph. 634: *res voluptatum est parva prae* [*eo, quod molestumst* + *res voluptatum est minor*] *quam quod molestumst.*

[4]) K. v. Garnier (Die Präpositionen als sinnverstärkend. Suffix. Lpzg. 1906 p. 58) aliam opinionem profert: „wenn etwas vorhergesagt wird, liegt darin doch wohl ein Vorteil"; quae explicatio mihi ut quaesita ita nequaquam verisimilis esse videtur.

mutatum sit, fortasse intellegere possumus ex exemplo, quod exstat apud Plautum (Asin. 629): *vostrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe*; inde enim cognosci potest vim verbi *praecedere*, quod hoc loco iam tropice adhibitum est, evasisse ex usu, qui vigebat in curriculo. Quo ex facto facile intellegi potest, quomodo illud *prae* locale in metaphoricam vim transferri potuerit; nam is, qui in curriculo prae alio, qui sequitur, currit, melius currit quam alius. Sed in hac vi procreanda multum, quin etiam fortasse plus, valebat usus, qui sub § 4 (*praeesse*, *praeficere*) tractatus est. Haec vis non invenitur nisi in compositis uno exemplo excepto, quod exstat apud Auct. ad Her. IV 28: *diligentia comparat divitias, neglegentia corrumpit animum, et tamen, cum ita vivit, neminem prae se ducit hominem.*

praestare. — Pl. Poen. 1193: *inter alias praestitimus pulcritudine*; Mil. 777: *Alexandri praestare praedicat formam suam*; Cat. orig. II 23: *Quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit*; Pl. Capt. 327: *damnum praestet facere quam lucrum*; et alia exempla.[1])

praecellere. — Pl. Pseud. 680: *ut quisque fortuna utitur, Ita praecellet*; Claud. Quadrig. 8: *forma factis eloquentia dignitate . . . praecellebat.*

praeponere. — Pl. Trin. 648: *amorem tuom uti virtuti praeponeres*; Ter. Andr. 65: *praeponens se illis*; et alia exempla.

praeferre. — Auct. ad Her. IV 20: *virtutem praefer divitiis.*

praevortere. — Pl. Amph. 528: *Ne me uxorem praevortisse dicant prae re publica*; Cist. 781: *Praevorti hoc certumst rebus aliis omnibus*; Pseud. 293: *pietatem te amori video tuo praevortere.*[2])

praecipuus. — i. e. *is, qui prae aliis capitur.* Pl. Trin. 1115: *Hic homost omnium hominum praecipuos*; Ter. Ad. 258: *hanc rem me habere . . . praecipuam*; Pl. Most. 189, Rud. 189, Cat. orig. IV 7.

[1]) *praestat*, quod exstat in usu iudiciali (gr. ἐγγυᾶται), compositum est ex *praes-stat*; cf. Buecheler Rh. M. LII 397, qui profert inscriptionem Tarentinam, in qua invenitur: *quei pro se praes-stat.*

[2]) De ceteris exemplis cf. Langen, Beitr. z. Krit. u. Erkl. d. Plaut., Lpzg. 1880 p. 78 sqq.

praemium.[1]) — Pl. Amph. 648: *virtus praemiumst optumum*; et alia exempla.

praeditus.[1]) — Pl. Amph. 218: *Legiones . . . pulcris armis praeditas*; Ter. Andr. 98: *tali ingenio praeditum*; Pl. Pseud. 149, Cat. orat. IX, Auct. ad Her. II 44, IV 54, 55, Cil. I 1011.

praeclarus. — i. e. *prae aliis clarus.* Pl. Mil. 1042: *Hominem tam pulcrum et praeclarum*; Acc. trag. Brut. 22, Acc. trag. 643, Luc. 90, 1081,[2]) 1276, Auct. ad Her III 9, IV 6, 63, 68, Claud. Quadrig. 48.

praepotens. — i. e. *prae aliis potens.* Acc. trag. Brut. 37: *Cepit cursum ab laeva signum praepotens*; Pl. Poen. 1182, inc. inc. fab. trag. 151.

praefervidus. — i. e. *prae aliis fervidus.* Acc. trag. 652: *praefervido fulgore Ardor iniectus Iunonis dextera ingenti incidit.*

praefulgens. — i. e. *prae aliis fulgens.* Claud. Quadr. 12: *armisque auro praefulgentibus*; Auct. ad Her III 32.

praefidens. — i. e. *prae aliis fidens.* Inc. inc. trag. fab. 125: *nam exultantem te et praefidentem tibi Repriment validae legum habenae.*

praeviridans. — i. e. *prae aliis viridans.* Lab. com. 116: *cum vigebam membris praeviridantibus.*

praegrandis. — i. e. *prae aliis grandis.* Pac. trag. 37: *feroci ingenio, torvus, praegrandi gradu.*

Hoc loco inserenda sunt haec quoque verba:

praeoptare. — i. e. *aliquid prae alia re optare.* Pl. Capt. 688: *Meumque potius me caput periculo Praeoptavisse quam is periret ponere*; Trin. 648, Ter. Hec. 532.

praeservire. — i. e. *alicui prae aliis servire.* Pl. Amph. 126: *Ut praeservire amanti meo possem patri*; Luc. 1004.

V. De vi temporali.

§ 9. Ex locali vi evasit vis temporalis; nam interdum fit, ut, ubi *prae* localem vim habet, una cum ea vis temporalis evaserit; velut *i prae* idem est atque *i prius quam ego*; significare igitur potest *prae* aliquem facere aliquid prius quam alios.

[1]) *praemium = id, quod prae aliis rebus emitur vel sumitur,* sicut **prae-dere,* a quo verbo *praeditus* derivatum est, significat *prae aliis aliquem aliqua re dare,* qua in elocutione **prae-dere* eandem constructionem habet atque *donare* (*aliquem aliqua re*) (Skutsch).

[2]) *praeclaram* Marx, *claram* libri.

Primo igitur spectabat *prae* ad personam, quae actionem verbi cum *prae* coniuncti agit; unde *prae* transferebatur in usum, in quo respicit non iam personam, sed actionem verbi ipsam, quae refertur non ad alias personas — sicut in priore ratione — sed ad tempus quoddam, quo aliquid prius fit. Velut *praescio* significare potest aut *scio aliquid prius quam alii* aut *scio aliquid prius quam accidit.* Tamen putaverim vim temporalem primo non multum in *prae* viguisse; nam saepe particulas *ante* vel *prius* confirmandi causa additas invenimus; unde concludo temporalem vim in particula *prae* invalidiorem fuisse quam ut per se ad futuras quoque res spectare potuerit; nam, ubi spectat ad futura, primum quidem ei potius verbo, quod cum *prae* particula coniunctum est, hanc significationem infuisse intellegere possumus, cf. *praedivinare praecavere*, *praetimere*, *praesagire* e. a.

praescire. — Ter. Andr. 239: *nonne oportuit Praescisse me ante?.*

praesentire. — Pl. Pseud. 408: *Verum is nescioquo pacto praesensit prius*; Pseud. 426, Trin. 172, Ter. Andr. 839.

praesagire. — Pl. Aul. 178: *Praesagibat mi animus frustra me ire*; Bacch. 679, Ter. Haut. 236.

praedivinare. — Pl. Truc. 338: *quasi volturii triduo Prius praedivinant quo die e<ss>uri sient.*

praeolere. — Pl. Mil. 41: *ut praeolat mihi, quod tu velis.*

praedicere. — Pac. trag. 138: *Hoc est illud, quod fore occulte Oeax praedixit*; Pl. Merc. 51, Pseud. 516. 517, Ter. Andr. 205, 793, 840.

praedicare. — Quod verbum primo adhibitum esse putaverim tantummodo de eo, qui ea, quae fient, antea dicit (nostra in lingua: „vorher bekanntmachen“); qua ex re elocutio intellegi potest: *praeco praedicat* (velut Pl. Bacch. 815); nam praeco[1]) fuit is, qui auctionem vel contionem antea pronuntiabat. Pl. Amph. 374: *Parum etiam, praeut futurumst, praedicas*; Stich. 195: *auctionem praedicem*; Ter. Eun. 828: *vera praedicas.* Postea autem *praedicare* transferebatur in vim, quae significationi verborum loquendi plane par est.[2]) Velut Pl. Amph. 730: *Cur igitur*

---

[1]) *praeco — praedico* cf. Stowasser, Z. f. ö. G. XLI 722 sqq., XLV 14; Skutsch, Glotta I 112.

[2]) cf. Langen, Beitr. z. Kr. u. Erkl. des Plautus, Lpzg. 1880 p. 306 sq.

praedicas Te heri me vidisse?. Nonnullis in exemplis translatum est, fortasse auctoritate praecellendi verborum, in gloriandi vim. Velut Pl. Ep. 446, 453, Mil. 777, 1237, Ter. Eun. 565.

praeloqui. — Pl. Rud. 248: *Occupas praeloqui quae mea oratiost*, Rud. 119.

praefari. — Cat. d. agr. 134,1: *ture vino Iano Iovi Iunoni praefato, priusquam porcum feminam inmolabis*, Cat. d. agr. 141,2.

praenarrare. — Ter. Eun. 982: *oportuit Rem praenarrasse me.*

praecanere. — *praecantrix*: Pl. Mil. 693.

praemeditari. — Auct. ad Her. II 8: *accusator dicet eum usque adeo praemeditatum fuisse, quid sibi esset usu venturum, ut confidentissime resisteret.*

praesumere. — Pl. frg. dub. VIII: *Quid tu o momarsicule homo praesumis?*

praeoccupare. — Pl. Most. 1060: *Praeoccupabo atque anteveniam et foedus feriam.*

praestituere. — Pl. Pseud. 59: *ei rei dies Haec praestitutast*; Pseud. 374, 624, Ter. Phor. 524.

praefinire. — Ter. Hec. 94: *illi haud licebat nisi praefinito loqui, Quae illi placerent.*

praestinare.[1]) — Pl. Capt. 848: *Alium pisces praestinatum abire*; Ep. 277: *praestines argento, prius quam veniat filius*; Pseud. 169: *piscium quidquid <ibi>st pretio praestinem.*

praemandare.[2]) — Pl. Trin. 335: *hominem praemandatum*; Truc. 403: *Mater ancillas iubet, Quoniam iam decumus mensis adventat prope, Alium a<l>iorsum ire praemandare et quaerere Puerum aut puellam qui supponatur mihi.*

praemercari. — Pl. Ep. 407: *ne istam tempore gnato tuo Sumus praemercati*; Cass. Hem. 13: *pretio minus parcerent eaque praemercarentur.*

---

[1]) *praestinare* habet similem sensum atque *destinare* „etw. für sich festmachen", cf. Langen, Beitr. z. Krit. u. Erkl. des Pl., Lpzg. 1880 p. 301. Interpretatio Vaničeki (Et. W. p. 1135): „vorher feststellen den Kaufpreis, verhandeln, kaufen" duabus ex causis mihi incerta esse videtur. Primum spectat *prae* non ad pretium, sed ad rem ipsam: deinde ex Vaničeki vi non minus facile vis plane contraria *vendendi* exoriri poterat. Emendi vis vocabulis demum *argento*, *pretio* est procreata (Germanice: „durch das Geld eine Ware vorher für sich bestimmen").

[2]) cf. Langen, Beitr. zur Krit. u. Erkl. d. Plaut., Lpzg. 1880 p. 307.

praecidere. — Ter. Hec. 598: *omnis causas praecidam omnibus.*

praetorquere. — Pl. Rud. 626: *Praetorquete iniuriae prius collum quam ad vos pervenat.*

praesternere. — Pl. Poen. 478: *viscum legioni dedi Fundasque: eo praesternebant*[1]) *folia farferi.*

praescribere. — Ter. Andr. 151: *his rebus finem praescripsti.*

praetimere. — Pl. Amph. 29: *Humana matre natus, humano patre Mirari non est aequom, sibi si praetimet.*

praecavere. — Pl. Men. 860: *illud praecavendumst atque adcurandumst*; Ter. Andr. 624: *hoc tempus praecavere mihi me, haud te ulcisci sinit*; Pl. Ep. 94, Merc. 333, Truc. 474, Pac. trag. 358.

**praeiudicare.* — Syr. sent. 194: *grave praeiudicium est, quod iudicium non habet.*

**praelegere.* — Cat. d. agr. 23,2: *vinum praeliganeum.*

**praecidere.* — Cat. d. agr. CXLIII: *porcam praecidaneam.* Cat. d. agr. 134,1 (bis), 134,3.

Singularis est usus his in exemplis:

praematurus. — Cat. ad M. f. 5: *praematura mors*; Pl. Most. 500, Afran. com. 335.

praecox. — Nov. com. 106: *puellae praecoquis libido*; Afran. com. 335, Pall. com. inc. inc. 95, Luc. 130, Enn. ann. 278.

praegnas.[2]) — Pl. Aul. 163: *eam senex anum praegnantem fortuito fecerit,* Pl. Amph. 723, Mil. 1077, Truc. 199, 389, 390, 811, Ter. Hec. 640, 641, Naev. com. 125, Pomp. com. 19, Afran. com. 167: metaphorice: Pl. Asin. 276.

VI. De vi finali.

§ 10. Is, qui aliquid prius quam alius facit, interdum eo consilio prius facit, ut alter factum imitetur vel ex facto discat; quo fit, ut ex temporali vi usus evaserit, in quo *prae* sensum, ut ita dicam, finalem habet.

praefica.[3]) — Pl. Truc. 495, Frivol. VII, Naev. com. 129, Luc. 955.

[1]) sic A; *prosternebant* ceteri.

[2]) Quod vocabulum fortasse compositum est ex *prae* + **gnatis* („das Gebären, die Geburt") i. e. „vor der Geburt befindlich" (Skutsch).

[3]) i. e. „Die, welche anderen etwas vormacht."

praemonstrare. — Pl. Trin. 854: *praemonstravit prius, Quo modo quidque agerem*; Pl. Ep. 317, Merc. 577, Pers. 148, Trin. 342, Ter. Haut. 875.

praescribere. — Auct. ad Her. II 24: *quae de necessitudine praescripta sunt*, Auct. ad Her. I 11.

praesul. — Luc. 320, Fab. Pict. (ex Cic. de. divinat.) 15.

praecipere.[1]) — Pl. Trin. 296: *Quae ego tibi praecipio, ea facito*; et alia exempla.

VII. De vi causali.

§ 11. Veniamus nunc ad mirum quendam et singularem usum, qui a ceteris significationibus longe abscedit; saepius enim significat *prae* causam vel incitantem vel prohibentem. De origine huius usus, quod plane certum sit, proferre non possumus. Neque rectum esse mihi videtur id, quod Delbrück[2]) de hac re iudicat. Exemplum, quod Delbrück profert (cf. not. 2), nequaquam idoneum est, quod opinionem eius demonstret et confirmet; huius enim generis exemplum in prisca latinitate non modo non exstat, sed ne veram quidem vim illius usus reddit; nam *prae* particula, ubi causalis vis exstat, semper fere cum nominibus coniuncta invenitur, quibus animi affectiones exprimuntur. Lacrimae autem ipsae affectio putari non possunt, sed potius affectione quadam provocantur demum (velut Pl. Stich. 466: *prae laetitia lacrimae prosiliunt*). Equidem putaverim *prae* hoc in usu esse non praepositionem; nam si esset, aut localis aut metaphorica vis existimanda est, quia nullae nisi eae significationes absolute adhibentur. Atqui utraque vis significationi causativae inesse non potest, metaphorica vis propterea, quod comparandi vis plane deest, localis propterea, quod localis vis re abstracta, quacum particula causativa coniungi solet, transferretur in talem vim metaphoricam, qualis nullo alio loco exstat. Ergo *prae* si praepositio non est, nihil aliud esse potest atque adverbium. Quae cum ita sint, ablativus, quocum *prae* coniungitur, pendere non potest a

[1]) Origo huius usus non iam perspicua est; fortasse evasit ex usu, ubi aliquid re vera magister capiebat, ut discipulo praemonstaret (velut arma, remos) (Skutsch).

[2]) Delbrück, Vergl. Syntax I p. 639: . . . tatsächlich ist das prae der hindernden Ursache nichts anderes als das zeitliche „vor". Denn prae lacrimis loqui non possum heisst eigentlich: „Ich kann nicht vor den Tränen zum Reden kommen, sie kommen mir immer zuvor".

particula *prae*, sed eum alia ex dicendi ratione evasisse necesse est. Fortasse ablativus exortus est ex constructione quadam participiali,[1]) qua exprimebatur aliquid prae aliquo esse sic, ut praesentiā suā actionem vel efficiat vel prohibeat. Velut *prae metu ubi sim nescio* (Pl. Cas 413) primo significavisse putaverim *prae-* (sc. *-sente*) *metu ubi sim nescio* id quod significat *praesentia metus efficitur, ne ubi sim sciam.* Causae vis igitur non particulae *prae* inest, sed ex constructione ipsa exorta est. Postea autem, cum constructio participialis cum praepositionis usu, quoniam ei simillima est, commisceretur, causae vis in *prae* particulam inferebatur.

Gaudium: Pl. Stich. 466: *prae laetitia lacrimae prosiliunt*, Ter. Haut. 308; metus: Pl. Amph. 337: *Neque miser me commovere possum prae formidine*, 1066, Capt. 637, Cas. 413, Rud. 174, Ter. Haut. 123; Pl. Stich. 215: *Prae maerore adeo miser atque aegritudine*; Pl. Rud. 526: *omnia corusca prae tremore fabulor*; Ter. Haut. 920: *Prae iracundia . . . non sum apud me*; Andr. 825: *Vide, quam iniquos sis prae studio*; Eun. 98: *misera prae amore exclusti hunc foras*; Pl. Truc. 328: *Mihi quoque prae lassitudine opus est <ut> lave<m>*; Auct. ad Her. IV 21: *in proelio prae ignaria tubae sonitum perferre non potes*; IV 45: *ex imis pulmonibus prae cura spiritus ducebat.*

§ 12. Restat ut paucis commemorem ea vocabula, quae quoniam in eis vis particulae *prae* non iam plane recognosci potest, in textum non inserui: *praeductorius, praefiscine, praelumbare, praepes, praes* (= *praevas*), *praestolari, praetensus, praevaricatio*; quae, quamquam dolendum est, quod non plane liquent, tamen ad vim explicandam particulae *prae* non magni momenti esse puto.

[1]) cf. etiam § 7, p. 44 sq.

Index

verborum, quae hoc in libro tractata sunt.[1])

A. *pro.*

prō 1, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20
prŏavus 22
prōcedo 3, 4, 5
prŏcello[2]) 5
prŏceres 5
prōcerus 5
prōclivis 5
prōconsul 11
prōcreo 4
prōcubitores 1
prōcudo 4
prŏcul 8
prōcumbo 5
prō̆curo 21
prōcurro 5
reciprŏcus 5
prōdeambulo 3
prōdeo 3, 10
prōdico 10
prōdigo 10
prōdo 3, 9, 10
prōduco . . . . 3, 4, 5, 8[3]), 9, 10
prŏfanus 1
prŏfecto 13
prōfero 3, 4, 5, 9, 10
prŏfestus 1
prōficio 5
prŏficiscor 5
prŏfiteor 10
prōfligo 6
prōfluo 3, 5
prŏfor 10
prŏfugio 7
prōfundo 3, 8
prŏfundus 8
prōgigno 4
prōgnariter 10
prōgredior 3, 5
prŏhibeo 1
prōicio[4]) 1, 3, 5, 10
prŏinde 3
prōlabor 5
prōles 4
prōlicio 3
prōlixus 8
prōloquor 10
prōlubium 24
prōluo 3
prōmereo 21
prōmico 3
prōmiscuus 24
prōmitto 24
prōmo 3
prōmontŏrium . . . . 3[5])
prōmoveo 5
prōnum 5
prōnuntio 10
prō̆pago 5

[1]) Numeri sunt paragraphi, quas paginarum loco attuli, quo facilius significationum differentia manifesta fiat.

[2]) sic L. Quicherat, Thesaurus poeticus linguae latinae, Paris 1887; Georges, Lat. Handwörterbuch: *prōcello.*

[3]) v. p. 18 not. 4.

[4]) sic Georges et Mather (Harvard Studies VI p. 105 et 132 sqq.); Quicherat: *prŏicio.*

[5]) v. p. 6 not. 1.

prōpalam 10
prōpando 5
prŏpe 24
prōpello 3, 5
prōpendō 5
prŏpero 5
prŏpitius 24
prōpono 10
prōportare 24
prŏprius 22
prŏ̄pudium 24
prōpugno 21
prōrepo 3
prōripio 3
prōrogo 9
prōruo 3
prōsapia 4
prōscindo 3
prōscribo 10
prōseco 3
prōseda 10
prōsequor 3
prōsero 3
prōserpo 3
prōsilio 3
prositus[1]) 1
prōspecto 8
prosper[2]) 24
prospicio[2]) 8
prosterno[2]) 5
prostituo[2]) 10
prosto[2]) 10
prōsum 21
prŏsumia 24
prōtelo 7
prōtelum 24
prōtero 6
prōterreo 7
prŏtervus[3]) 24
prŏtinam 5
prōtinus 5
prōtollo 5. 9
prōtraho 3. 10
prōtrudo 7
prōturbo 7
prōveho 3
prōvenio 3[4]. 5, 10
prōvideo 8
prōvincia 24
prōviso 3
prōvoco 3
prōvolo 3
prōvolvo 5
prōvorsus 5

B. *prae.*

prae 5, 7, 8, 11
praeacuo 3
praebeo 6
praecano 9
praecaveo 9
praecedo 6, 8
praecello 8
praeceps 3
praecido 3, 9
praecidaneus 9
praecingo 3
praecipio 10
praecipuus 8
praeclarus 8
praeclavium 3
praeco 9[5]
praecordia 6
praecox 9
praecurro 6


[1] Georges et Quicherat de prosodia huius vocabuli nihil adnotant.
[2]) His in vocabulis de pronuntiatione particulae *pro* nihil constat.
[3]) *prōtervus*: Pl. Amph. 837. Pac. trag. 147 (Quicherat).
[4]) v. p. 19 not. 4.
[5]) v. p. 48 not. 1.

praedico 1 9
praedico 3 9
praeditus 8
praedivino 9
praeductorius 12
praeeo 4, 6
praefero 8
praeferratus 3
praefervidus 8
praefestino 6
praefica 10
praeficio 4
praefidens 8
praefinio 9
praefiscine 12
praefor 9
praefringo 3
praefulcio 3
praefulgens 8
praefurnium 3
praegnas 9
praegrado 6
praegrandis 8
praehendo (*prehendo*) 6
praeiudicium 9
praeliganeus 9
praeligo 3
praeloquor 9
praelumbo 12
praemando 9
praematurus 9
praemeditor 9
praemercor 9
praemitto 6
praemium 8
praemonstro 10
praemordeo 3
praenarro 9
praenomen 3
praeoccupo 9
praeoleo 9
praeopto 8
praepedio 3
praepes 12
praepono 8
praepotens 8
praequam 7
praeripio 6
praerodo 3
praes (*praevides*) 12
praesagio 9
praescio 9
praescribo 9, 10
praeseco 3
praesens 6
praesentio 9
praesepes (*praesaepes*) 3
praesertim 4
praeservio 8
praesideo 4
praesterno 9
praestino 9
praestituo 9
praesto (adv.) 6
praesto (verb.) 8
praestolor 12
praestringo 3
praestruo 3
praesul 10
praesum 3, 4
praesumo 9
praetensus 12
praeter 2
praetero 3
praetexta 3
praetimeo 9
praetor 4
praetorqueo 9
praetrunco 3
praeut 7
praevaricatio 12
praevello 3
praeviridans 8
praevorto . . . . 6[1]), 8

[1]) v. p. 44 not. 1.


Tabulae, quibus demonstratur, qua ratione utriusque particulae significationes evaserint.

A. *pro.*



[1]) numeri capitum.
[2]) numeri paragraphorum.

B. *prae.*



Argumentum.

A. Prioris partis: *pro*.

p.

Exordium . . . . 1— 2

I.

§ 1. de vi, quae spectat ad locum, ubi quid est . . . . 2— 3

II.

de vi, quae spectat ad locum, unde quid movetur.

§ 2. de differentia, quae est inter *pro* et *ex* . . . . 3— 4

§ 3. de vi locali. . . . . 4— 8

§ 4. de procreandi vi 9

III.

de vi, quae spectat ad locum, ad quem quid movetur.

§ 5. de locali vi propria . . . . 10—14

§ 6. de vi nostrae particulae „nieder" simili 15

§ 7. de vi particulae *a* simili . . . . 15—16

§ 8. de vi, quae spectat ad infinitum locum . . . . 16—18

§ 9. de differendi vi . . . . 18—19

IV.

§ 10. *pro* idem fere significat atque *coram, in publico* . . . . . . 19—22

V.

§ 11. de vi suppletoria . . . . 22—23

VI.

pro idem fere significat atque *quasi.*

§ 12. de vi primitiva . . . . 24—25

§ 13. de propria vi 25

§ 14. de vi nostrae particulae „als" simili . . . . 25—26

VII.

de usu apud emendi verba.

§ 15. de propria vi 26

§ 16. de metaphorica vi . . . . 26—27

VIII.

pro idem fere significat atque *secundum.*

§ 17. quomodo haec vis ex emendi vi evaserit . . . . 27—28

§ 18. de propria vi 28

§ 19. de vi causativa 28

IX.

pro idem fere significat atque *commodo, praesidio.*

§ 20. de particula absolute adhibita . . . . 29—30

§ 21. de particula cum verbis coniuncta 30

X. p.

§ 22. de usu, qui exstat in vocabulis cognationis . . . . 30—31

XI.

§ 23. de pronuntiatione particulae *pro* 31

§ 24. de vocabulis praetermissis 32

B. Alterius partis: *prae.*

Exordium. p.

§ 1. de origine et propria vi particulae *prae* . . . . 33—34
§ 2. de differentia inter *ante* et *prae* intercedente . . . . 34—36

I.

de locali vi, quae spectat ad partem rei.

§ 3. de vi propria. . . . . 37—39
§ 4. de vi metaphorica . . . . 39—41

II.

de locali vi, quae pertinet ad aliquid extra rem situm.

§ 5. de particula absolute adhibita . . . . 41—42
§ 6. de particula cum verbis coniuncta . . . . 42—44

III.

§ 7. de vi comparandi . . . . 44—45

IV.

§ 8. de vi praecellendi . . . . 45—47

V.

§ 9. de vi temporali. . . . . 47—50

VI.

§ 10. de vi finali. . . . . 50—51

VII.

§ 11. de vi causali . . . . 51—52

§ 12. de vocabulis praetermissis 52
